160891B

N w
n

1) BURKY, J.

2) MEISNER, J.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30545602

D. IOH. MEISNERI

SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBLICI
IN ACADEMIA WITTEBERG.

TRACTATVS ANTI PONTIFICIVS DE APPARITIONIBVS DAEMONIBVS

Von Erſcheinungen der Teufel.

FRANCOFVRT. ET LIPSIAE,
MDCCLIII.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

DISPVTATIONIS ANTIPONTIFICIÆ
DE
APPARITIONIBVS DÆMONVM.
CAPUT I.
Παρασκευαστικὸν & *præliminare.*

§. I.

QVod *de Locutionibus Dei mediatis ad Patres Ebræorum per Prophetas factis Ebr. l. 1.* dicitur, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *multis vicibus eas, modis multis contigiſſe;* id *de Revelationibus benigni ejusdem Numinis immediatis*, quæ tum ordinarie ſanctis Vatibus, tum aliis etiam extra ordinem in Vet. Fœdere claris obtigerunt hominibus, perinde non præter rem pronunciaveris. Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως ſe habent tot ſeculis toties repetitæ, tot modis toties variatæ. Ad prima recentis mundi incunabula reſpicienti, ipſis Protoplaſtis loquens, & abſcondita exponens varia, non ſemel occurrit Deus. Jam ſi per ætates Patriarcharum,

rum, per ſecula Prophetarum irejuvat, quam manifeſta pariter ac multa apparentis Ejus, tentantis, docentis, increpantis, monentis, inſpirantis legere licet veſtigia. Neque enim *Rabbini* fidem merentur, qui inter *Moſis* prærogativas præ Prophetis reliquis & illam comminiſcuntur, quod ſoli illi immediate, cæteris omnibus per Angelos revelarit arcana Dominus; neque *Epiſcopius* habet, quo placitum ſolide confirmet ſuum atque oſtendat, *mediate ſemper ſive in ſomnio ſ. viſione Deum in V. T. apparuiſſe*, quod opinatur *Inſt. l. 2. c. 1. p. 24.* Modus deinceps Manifeſtationum illarum divinarum tam deprehenditur multiformis, ut diſtinctæ dinumerationis juxta ac piæ admirationis vix haberi queat modus. Nunc enim κατ' ὄψιν, velut *Græci* exprimunt *Theologi*, ſeu ut *Latini* convenientius loquuntur, *corporali modo* apparuit ex arcana majeſtatis ſuæ ſede prodiens immortalis Dominus, per ſpecies ſenſibus objectas externis, v. c. viſui *Exod. XIII, 21.* auditui *1. Sam. III, 11. ſeq.* utrique *Gen. XIIX, & paſſim alibi.* (Quem quidem modum intervertere omnino, Angelorum miniſterio vindicare, atque adeo immediatarum Revelationum claſſibus eximere Pontificii quidam, inprimis *Pererius in Gen. XIX. diſp. 5. Serarius in Joſ. l. 4. c. 5. q. 40. Thyræus de apparitt. Spir. l. 1. c. 3. & l. 2. c. 15.* aliique præſumunt; aſt vi ſacris literis illata, orthodoxæ Antiquitatis ſuffragio deſtituti, Conciliorum etiam fulminibus expoſiti, a Sociorum plurimis *Maſio*, *Salmerone*, aliisque deſeruntur.) Nunc κατὰ φαντασίαν repræſentatus eſt per imagines interno impreſſas ſenſui ſive dormientium, *Gen. XX, 33. ſeq.* vigilantium *1. Reg. XXII, 17. ſeq.* Nam, *ſi quis fuerit inter vos Propheta Domini*, teſtatur ipſe *Num. XII, 6. in viſione apparebo ei vel per ſomnium.* Nunc ipſi illapſus intellectui ſanctos ſuos affuſo mirabili lumine colluſtravit, atque mentibus eorum plurima modo ineffabili indidit. Nunc viſus *Pater* eſt, in *Antiqui Dierum*

forma

forma *Dan. VII, 9.* nunc *ſub ſpecie fluminis ignei Spiritus S. ibid. v. 10.* nunc *Filius* inprimis aut Angelico ſchemate conſpicuus Patriarchis fidelibus adſtitit, (*Gen. XIIX, XXII, XXXI. &c.*) aut indutus humanos artus temporaria ſpecie carnis olim aſſumendæ habitum tantisper circumtulit, nempe præludia quaſi promiſſæ incarnationis, &, quam prona voluntate, quam geſtiente affectu præſtituta tempora exſpectet, ſpecimina certa exhibiturus, incertumque adeo redditurus, ſuane an Fidelium vota diem exoptatiſſimæ ἐπιφανείας magnum expetant inſtantius, deſideretne ipſe impenſius an deſideretur.

§. II.

Quemadmodum autem ex inenarrabili φιλανθρωπίᾳ æterno noſtro bono Pater miſericordiarum operatus iſta omnia eſt: ita ipſius ac noſter adverſarius ἄσπονδος & hoſtis juratus *Sathanas*, quandoquidem divinæ benignitati non ſuccenſet minus, quam invidet felicitati humanæ ex animo, conatus omnes & veteratorias artes ſuas conquiſitas ſtudioſiſſime & convocatas eo direxit, ut ſub illo diſpenſationis divinæ velamento ſuam abderet & incautioribus obtruderet nequitiam, bonitatemque illam Dei ac majeſtatem ſive æmularetur, ſive compoſitiſſima fraude mentiretur, ſimius ejusdem, ſi uspiam alias, heic certe fallaciſſimus. Namque & ipſe ſtatim ab initio ſeculi intra ſanctiſſimum paradiſi arboretum ſerpentis abutens habitu per hos cuniculos adortus primos parentes noſtros eſt, divinæque revelationi ſuam opponens & eadem miſeris, o triſtem infandi caſus memoriam! imponens callide, primordia facinoroſiſſimorum ſuorum adverſus homines conſiliorum omine heu nimium nobis ſiniſtro oſtendit: & ex illo deinceps tempore repetitis ac innovatis varie vicibus hos ſibi cothurnos ſæpius adaptavit, quibus eandem fabulam multo-

rum infeliciter applaudentium exitio, verſatiſſimus ſcelerum artifex luſit, tum in paganiſmi vaſtiſſimis ſpatiis late & ordinarie quaſi inter diffidentiæ filios, in paſſiones ignominiæ traditos graſſans, & ſtragem animarum inenarrabilem iſta impoſtura faciens: tum intra Eccleſiæ etiam pomœria non minus illudens plurimis. Et ipſe ſub amicitiæ ac amoris, quem tamen diu omnem ejuravit, ſpecie, quaſi cœleſtis quidam Monitor jam imagine oculos horum fefellit ſubdola, jam illorum aures ſonis fallacibus opplevit: jam vigilantibus viſiones obtulit deluſorias: jam dormientibus per ſomnia impoſuit: jam mentes ipſas ecſtaticis motibus correptas atque externatas varie decepit: jam Dei ipſius majeſtaticum mentitus fulgorem eſt: jam luctatoris aliosve habitu Filium Dei imitatus glorioſum, jam lucis Angelus, jam anima e Stationibus ſive ſuperum ſ. inferiorum redux haberi voluit. Dicam uno, quod pluribus nondum aſſequerer, verbo: *in omnes ſe transformat hactenus formas, atque ut decipiat, nullo colori parcit.*

§. III.

Vides aliquantis per μετασχηματισμȣς Veteratoris mirabiles, *attente Lector*, & nondum doles, plurimos non videre? Advertis tandem inſidioſiſſima Adverſarii ſtrategemata; *Chriſtiane Commilito*, & non obſtupeſcis, innumeros nolle advertere? Non commemorabo, quam ſtrophis his inter infinitas gentilium myriadas, toties tartarum pro cælo exoſculatas, cladem deſignarit, quam prædam fecerit. Etiam illos, qui propiores gratiæ ac verbi prædicatione præmoniti poterant quidem cavere ſibi ſanctius, in iſtas tamen ſyrtes improvide ſæpe inciderunt, tacitus prætervehat pleroſque. Solos mihi, ſed frequentiſſimos illos ſpecta nunc populos: quos *Eccleſia Romana, meretrix illa Babylonica* propinatis toxicis ſuis demen-

mentavit hactenus & hodienum dementat; quoties illi ſub ludicra commentitiæ lucis imagine tenebras admirati ſunt? quoties ex inferis mendaces Spiritus religioſe exceperunt, reverenterque audiverunt, e cœlis nuncios plena cum potentia eſſe, rati? quoties de cultu fideque circa doctrinam & mores per novas Dei revelationes, per lætas Angelorum apparitiones, per ſanctorum demortuorum colloquia, per animas denique alias rite ſe inſtrui temere crediderunt, cum ſpectra eſſent & larvæ Sathanicæ? Efferunt tamen ſe iſtis & jactant ſæpius occœcati Papicolæ: immo exinde communionem ſuam cum Eccleſia triumfante, cumque cœlitibus frequens commercium aliquando deducunt. Exemplum tibi unicum, ſed recens ediſſeram. Vertit annus circulum, ex quo *Olſna Sileſiorum*, dulciſſima Patria mea, *Clariſſimum V. D. Johannem Scheflerum*, qui Medicus ipſi commodarat aliquandiu non infeliciter operas, ad Pontificiam religionem defeciſſe, deſubito accipiens, vix ſibi crederet admirabunda, ac legeret deinde non minori ſtupore percita inter cæteras inanes, quas Apoſtoſiæ ſuæ ornandæ prætexit ille cauſas, hanc quoque *in claſſe altera decimam; quod nempe ex debita ſanctorum veneratione & communione cum ipſis multiplici per preces, colloqvia, apparitiones, viſiones, revelationes ac ſimilia, ſancta Eccleſiæ Romanæ veritas & antiqvitas infallibiliter innoteſcat.* En inaudita oppidoque nova antiquitatis argumenta! En, quam nunc Eccleſiam Romanenſium veram eſſe, ex iis arguat, quæ falſam evidenter produnt. Ecce Tibi, quo fructu tot ſumat perſonas, tot formas induat Dæmon. Mihi præterea iſthæc, dum tecum eadem miror ac miſeror, refricant promiſſi memoriam, quo ante hos V. annos, cum *Philoſophicam de Spectris* mitterem in publicum *Exercitationem*, ſubjecturum me aliquando eſſe, quæ a Theologis circa idem argumenti genus diſpiciantur, ſum pollicitus, liberandique adeo fidem hanc, occaſionem commodam opportune ſubminiſtrant.

§. IV.

§. IV.

Equidem ipſe jam mente præcipio, fore multos qui inſtituto huic convitium facient, & fronte paginarum harum vel leviter cognita vix ab iniquiori ſententia ſibi temperabunt: *quod denuo tenebras iſtas relicta luce perſcrutari placeat: quaſi non ſuppeteret materia, in qua vires liceret experiri, dignior inglorio iſthoc themate. Dudum eſt*, ajent, *quod didicit & Diabolus obliviſci harum inter nos fraudum, vix cuiquam amplius impoſiturarum, & grex Pontificius erubeſcere, argumentaque ſolidiora nobis objectare. Quorſum attinet igitur adoriri demum jam eliſa ferire profligata, ſepulta refodere?* Ego vero te quisquis es, bona quæſo verba. Diſcutio quat tenebrarum poteſtates obfundunt offucias, ne divinam lucem relinquam. In terriculamenta & machinas adverſariæ partis inquiro, ut, quam ſub vexillo JESU profeſſus ſum periculoſiſſimam militiam, Duce Deo felicius proſequar. Sint digniora alia meditamenta; attamen nec arcana hoſtium inveſtigare, Chriſtiano Militeindignum, nec vindicare adverſus illa Dei gloriam, inglorium eſt. Illud vero quis credat, Diabolum iſtud telorum genus, ſi forte minus nunc evibret, abdicaſſe omnino ac ejuraſſe: quippe cui nullæ ſunt induciæ, pax nulla, nullus invidiæ odiique modus. Certe nondum adhuc coierunt, quæ fecit iſtis vulnera. Neque redire, licet in fugam actus ſemel aut ipſe pudori ducit, aut impudentiæ huic ejus quicquam concedit frons perfricta Romani proſtibuli. Docet *Catholicorum credendi Regula, a Valeriano M. vulgata*, ad apparitiones & revelationes non ſemel provocans. Docet *Scheflerianum paradoxon ante commemoratum*. Docebunt fuſius ſequentia. Nam cum *ipſum* promittere mihi multivarium videatur hæc tractatio, *tum* διδασκαλικὸν, ſtupia diaboli: *tum* ἐλεγκτικὸν, abominanda erro-

rum

rum Pontificiorum monſtræ: *tum* ἐπανορθωτικὸν, pravum cum ſpectris agendi modum: *tum* παιδευτικόν, ſaniora conſilia: *tum denique* παρακλητικὸν, frena Dei cohibentis & manum potentiorem exhibitura, ſine hæſitatione aut ambage ulteriori in hanc arenam deſcendo, gladium verbi accingens, fretus ſuppetiis divinis. *Neque enim deſeret pugilem ſuum Cæleſtis Imperator. Increpabit Sathanam & nunc, debellabit, conteret: & erit ipſius honor, & virtus, & victoria, & regnum, & potentia in ſeculum ſeculi, Amen!*

CAPUT II.

Κατασκευαςικὸν ac theticum.

§. V.

Ut duo ſunt *Chriſtianiſmi* capita præcipua: *Fides & Charitas*: ita duplex quoque *Theologiæ* ſtudium eſt, *aliud credenda* exponens, *aliud* præcipiens *facienda*: quorum illud *de ſenſu* ſollicitum, ne quid *veritatis* ignoretur, circumſpicit; hoc *in actu* poſitum, ne quid *pietatis* violetur, accurat. Illud *ſapientiæ* eſt, hoc *religionis*: illud *ſcientiæ*, hoc *conſcientiæ* conſulit. Utramque & nos ingrediemur nunc ſemitam, oſtenſuri *principia, quæ deceat ſentire de Apparitionibus illis Diabolicis*, ne γνῶσιν ἀληθείας perdamus: *de hinc quomodo agere etiam cum larvis talibus liceat*, ne πρᾶξιν εὐσεβείας temeremus. Quantum initio ad *prius penſum*, tribuimus id rurſus *in theſin noſtram & antitheſin Pontificiam*. Atque illam quidem brevibus ſecundo hoc expedimus capite, tertio alteram ſubjecturi.

§. VI.

NOMINIBUS (quorum prima nobis non imme-

rito cura eſt) *ſacræ literæ* variis paſſim inſinuant ludibria illa dæmonum apparentium milleformia, transſumendo etymorum rationem *partim a figuris aſſumtis, partim a loci circumſtantia, partim a temporis adjuncto, partim ab effectis, aliisque accidentibus plurimis.* Pertinent huc שרים a vaſtis & deſertis locis, quæ incolunt ut plurimum, dicti, *quibus ſacrificarunt gentiles V. Devt. XXXII, 17. Pſ. CVI, 37.* Tales שרים *ipſi Chriſto* poſt baptismum in deſerto per XL. dies inter θηρία agenti obverſabantur, cum ipſum ante triplicem illam graviſſimam tentationem terriculamentis variis & velitationibus præviis fatigare vellet callidus hoſtis, uti ex collatione Evangeliſtarum *Matth. IV, 1. Marc. I, 13. Luc. IV, 2.* eliciunt ſeduli Commentatores, & contra *Spanhem. dub. Ev. part. 3. dub. 52. p. 202.* tuetur *Excell. Dn. D. Calovius, Præceptor & Patrenus meus æternum devenerandus, Eloquiis Chriſti, prælectis publ. l. 1. c. 2.* Aliqui tamen שרים iſtos quaſi a שדה eſſet, *mammoſos* interpretantur & ad formam referunt. Deinde pertinent huc שעירים *piloſi*, h. e. villoſa & caprorum ad inſtar hirſuta Satyrorum monſtra, Fauniqve onoſcelides, ſ. aſinipedes, ægypanes ſ. capripedes, a שער dicti, quod verbum proprie horrorem deſignat cum, quo ſtat coma, pilique & ſetæ animantium eriguntur. Quamvis enim *R. Aben Eſra* exiſtimet, præſtare ut per iſtos *Seirim*, qui *Eſa. XIII, 21. & XXXIV, 14. Babyloniorum urbem inhabitaturi olim prædicuntur*, aves horrendæ deſertorum locorum σκῶπες *Græcis* dictæ, quam hirci ſilveſtres, dæmones, fauni & ſimilia monſtra intelligantur; ſi conferes tamen *Lev. XVII, 7. cum ante cit. Devter. XXXII, 17. & 1. Cor. X. 20.* ſtabis procul dubio a noſtris partibus, & Diabolorum ſolitudines amantium formas horribiles interpretaberis. Ridiculus eſt *R. Abrah. in Gen.* citante *Camer. hor. ſucc. Cent. 1. c. 71.* autumans *eſſe Satyros iſtos imperfectæ animantia, quæ ob præventum Sabbathi non conſummarit Plaſtes optimus.*

optimus. ὢ κάλυμμα! o nugandi pruriginem! Agnoſcunt noſtram expoſitionem *R. Sal. Jarchi & R. Dav. Kimchi. Targum* in utroque loco habet pro æquipollente illud שׂרים *ante adductum: Lutherus* reddit Feldgeiſter, Feldteufel. *Oſiand. & Ar. Mont.* Satyros. Quid multis? Gerit utique iſtud nomen propter circumdatam ſibi hirci ſimilitudinem hiſpidam, verſipellis Sathanas, quemadmodum proter muſcæ formam apud Accaronitas בעל זבוב *V. 2. Reg. I, 4. Beelzebub ſ. muſcæ dominus* ſalutabatur, quod nominis per contumelioſum ἀντίστοιχον τȣ̃ ל pro ב *Ebræi* mutarunt in בעל זבול ſ. *Dominum ſtercoris aut Deum ſtercoreum*, quomodo etiam *Matth. X, 25.* legitur βεελζεβȣ̀λ, quanquam ibidem differat *Syrus, Vulgatus, aliique Interpp.* Unde etiam *Gvaltper. in Sylloge vocum exot. in N. T. par. pri. p. 102. Schindl. in Lex. p. 459. aliique* rectius legi βεελζεβȣ̀β arbitrantur. præter fidem tamen exemplorum optimorum, quibus etiam *Chryſoſt. Orig. Athanaſ. Cyrill. Pruden.* olim uſi videntur. V. *program. Danhaueri in Septenar. Ang. Celeberr. Dorſch. p. 412.* Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

§. VII.

Porro ſpectat huc *a nocte nuncupata* לילית *Eſaia XXXIV, 14.* quam rurſus quidem *Aben Eſra avem noctu circumvolitantem, Vulg. Ar. Mont. aliique ſtriga* exponunt, commodius tamen alii quam plurimi *lamiam, ſpiritum lucifugam, vel infauſtum quoddam nocturnum monſtrum*, quale puerperis infeſtum Judæi verentur, atque ea propter in quatuor parietibus ejus, ubi puerpera decumbit, cameræ, אדם חוה חוץ לילית h. e. *Adam, Eva, foras Lilith*, ſcribunt, referente *Schindl. Lex p. 935. in voce* ליל. *B. Luth. noſter* vertit der Kobold wird auch daſelbſt herbergen. More ſuo non ignobili vocabulum notæ in vulgus nomenclaturæ præferens ignoto cuicunque alii, incertove. Sane

qui *dæmoniſſam*, aut *principem ſuccubarum* interpretantur, longe infelicius ipſo, niſi fallor, exprimunt, nec propterea quod carpant in aliis habent. Spectant huc etiam illa *ἰνδάλματα ἐκταράσσοντα ſimulacra perturbantia*, *Φάσματα ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις*, *viſa tetricis triſta vultibus*, *δείματα καὶ ταραχαί*, *timores & turbationes*, *κνωδάλων πάροδοι καὶ ἑρπετῶν συρισμοὶ*, *beſtiarum tranſitus & ſerpentium ſibili*, *τέρατα Φαντασμάτων monſtra idolorum*; *πνεύματα συρίζοντα ſibilantes ſpiritus*, qui Ægyptios plaga percuſſos nona tenebrarum & longæ noctis compedibus vinctos! perterrefaciebant, teſte *libro Sap. c. XVII, 3. 4. 8. 9. 15. 19. &c.* Facit hoc, quod *Chriſtum* supervenientem ex improviſo atque apparentem *Apoſtoli* aliquoties putant eſſe *πνεῦμα*, ſ. imaginem tantum aut umbram corporis, qualis illa *apud Hom. Ulysſis amplexus ſubterfugiens, cum non ſuſtentaret σάρκας τε καὶ ὀστέα: Ulyſſ. λ.* item *Φάντασμα* ſ. quippiam præter naturæ ordinem forma viſibili ſe conſpiciendum præbens, quomodo inprimis dæmones ſæpe ſive eliciti, ſive ultro, ementiti præſertim mortuorum figuram, ſeſe exhibuerunt. *ſ. Matth. XIV, 26. Marc. VI, 49. Luc. XXIV, 37.* Aliquo modo etiam referri poſſe huc *antiqui ſerpentis*, & *Draconis magni* appellationes videntur *ex Apoc. XII, 9.* Nec abeſt procul *talparum & veſpertilionum* commemoratio, quibus incurvabantur olim in Iſraelitis idololatræ *Eſ. II, 20.* Sed ſatis nunc h. l. de nominibus, poſtquam ex dictis abunde liquet, quod ſeſe Spiritus inferi certis ſæpe locis ac temporibus, formis certis aut fabrefactis aut occupatis manifeſtantes, hæc & ſimilia nomina hactenus invenerint. Unicum aute, quam abeamus hinc, addendum breviter eſt. *Apparitionis πολύσημος* notio ab *Iſidoro l. 7. Orig. c. 8.* diſcernitur *in intellectualem*, *imaginariam & corporatam*, atque *hæc* rurſus *in auricularum & ocularem*, uti ex parte jam §. 1. inſinuavimus. Nos in ſequenti tractatione, quamvis imagi-

nariam

nariam non excludamus omnino, neque auricularem, ultimam tamen utpote *πρώτως* & *κυρίως* ſic dictam præcipue attendemus.

§. VIII.

GENUS inquiſituris claſſes prædimentales *Actionem* non difficulter oſtendunt. Quando enim formata imagine certa ſenſibus humanis ſeſe cognoſcendos exhibent Dæmones, tum utique potentiam quam habent aſſumendi corpora, in actum deducunt: tum utique principium illud activum fertur in objectum, materiam nempe aſſumi aptam, unde terminus tandem, ſpectrum, veluti forma per actionem illam producibilis reſultat: quæ ipſa ſec. accuratius philoſophantes, ratio actionum formalis eſt. At illud porro indaginis paulo altioris, qualis ſit actio, ſi propinquius deſideres genus: Cum illa quidem diſpeſcatur varie, *apparitionis vero*, *aſſumtionis corporum*, *ſpectrique* noëmata, quamvis reipſa conjunctiſſima alias ſint; hic tamen ſi confundantur, non parum difficultatis gignant. Extricabimus tamen nos, qua pote fieri, brevitate. *Apparitio* primum ſi penitius excutias, non realis ſtricte dicta, ſed objectiva tantum actio eſſe videtur. Quid n. aliud eſt apparere quam conſpici, aut videri? h. e. ſpeciem ſui ſenſibilem producere in ſenſorio, atque inde per denominationem extrinſecam ſaltem agens denominari. Uno verbo: quid eſt aliud, quam per modum objecti ſolum agere? *V. Svarez. diſp. 48. ſ. 1. n. 9. Exc. Dn. D. Calov. ſcript. Phil. Metaph. par. ſp. 299.* Verbum *aſſumtio* deinde ipſa *corporum* in quibus apparet Alaſtor, realis omnino eſt actio, eaque tranſiens & in extraneam patiens ſ. objectum influit, quod in propatulo conſtat. Eadem, *ratione principis* voluntaria, *ratione organi* immaterialis, *ratione termini* ſubſtantialis, *ratione durationis* ſucceſſiva eſt, & ſic porro, de

quibus plura *Metaphyſicorum & Pnevmaticorum Filii*. Tandem *ſpectrum*, quod terminus aſſumtionis corporum, apparitionis vero objectum eſt (ita enim differunt invicem) prorſus ſedem non invenit in hac generum claſſe, ſed in nulla e X illis directo admittitur. Quomodo autem reducatur ad ſubſtantiarum ordinem, & quod in iis proximum genus ſortiatur, expoſuimus in *diſſ. Phyſ.* Atque hæc etiam *de genere* impræſentiarum dixiſſe ſufficiat.

§. IX.

FEFICIENS cauſa & principium quod apparet, *Cacodæmones ſunt* ſ. illi Angeli, qui *non ſteterunt in veritate*, *ſed relicta ſua ſtatione* averſi a Creatore optimo, exterros cœlo facti ſunt mancipia barathri, *principatus*, *poteſtates*, *rectoresq; tenebrarum ſeculi & ſpiritualia nequitiæ*, uti vocantur *Joh. VIII, 44. Eph. VI, 12.* Væ habitatoribus terræ ac maris! Iſtæ enim ſunt, quæ & hoc & illam adſpectu ſæpe triſti infeſtant, ardentes odiis & ira, formæ truces, infauſtæ faces, voces horridæ. Ambigis, quomodo liceat iſtud *detruſis in tartarum per catenas noctis* (quomodo *per vincula æterna*, *quibus in judicium magni diei ſub caligine ſervantur? Ep. Jud. v. 6. 2. Pet. II, 4.* Paucis accipe. Deus equidem ab ipſo ſtatim rebellionis exordio, cum debellaſſet adverſariam Draconis rufi aciem, præcipites ad orcum egit perdulles, qui etiam ipſi ad perpetuos damnati carceres & æterna ſupplicia, expedire ſe compedibus ſponte & facultate propria, aut antra evadere oppeſſulata, ut vellent, nunquam poſſunt: interea tamen ipſe ſuam nequaquam adſtrinxit ita potentiam, ut nequeat omnino his etiam captivis ſuis, quando, quibus & quamdiu vult, exeundi facere copiam: quin potius quod faciat non raro & facturus ſit, *donec in fine ſeculi omnem evacuaturus eſt poteſtatem & principatum & virtutem* (*1. Cor. XV, 24.*) actu ipſo o-

ſtandit

ſtandit ſæpius, ac verbo etiam paſſim ſcripto docuit. *V. Matth. XXV, 41. IIX, 29. Luc. IIX, 31. 2. Reg. XXII, 22. Joh. I. 7. ſeq. Eph. II, 2. VI, 12. 1. Pet. V, 8. Apoc. XII, 12. &c.* Interea etiam emiſſi tantisper Diaboli, horrore tamen perpetuo ad ejus judicii memoriam *contremiſcunt Jac. II, 19.* atque inde circumferunt infernum & pœnam, quando vel maxime locum relinquunt, neq; tum etiam quando liberrime inter mortales graſſari videntur, vincula omnino nulla, ſed laxiora ſaltem gerunt. Vidiſti canes efferos, arctioribus catenis nodisve adſtrictos, quibus ſui cujusque heri arbitrium, non rabies propria limites figit anguſtos, intra quos non niſi paucis nocere queunt? Idem Moloſſis ac Cerberis infernalibus evenit; & his quousque viſum eſt Domino, neque latum ultra ungvem progredi licet, longe alias atrocius ſævituris. Sed de his ſummi Numinis frenis paulo poſt plura.

§. X.

PRINCIPIUM quo & inſtrumentalis cauſa nunc porro indaganda ſunt. Ubi id nobis initio fixum & ratum, per naturam atque aſſentiam ſuam noa videri Dæmonas; ὐ καθ' ὅ εἰσιν ἐπιφαίνονται, ἀλλ' ἐν μετασχηματισμῷ, καθὼς δύνανται οἱ ὁρῶντες ὁρᾶν, ait *Damaſc. l. 2. de Orth. fid. c. 3.* Sane etiam qui corpora ipſis juxta ac bonis Angelis attribuunt, ſive ignea, (ut *Ephrem, Severianus, Galatinus, Mahumedani.*) ſive aeria ſimul, (ut *Judæorum plurimi, excipe Maimonidem*) ſive alius generis & conditionis, ſubtilia, ſublimiaque, (ut *e Pp. priſcis multi, Juſtin. Orig. Tertull. Damaſc. Hilar. Gennad. Cyrillus. Alex. Lactan. Macarius, Cæſari. Auguſt. &c. e recentioribus Paracelſiſta, & Ruſſi: item Zanch. Buc. Grotius. Voſſius* in medio relinquit *l. 1. de idol. c. 6. ſub calcem.*) hi inquam plerique omnes tamen admodum tenuem, inviſibilem, inſenſilem, impalpabilem, immo aliqui, quamvis non ſine contradictione in adjecto implicita, ſpiritua-

lem materiam eorum ſibi confingunt. Uti vero hi ipſi, etſi errent alii aliis craſſius, alii excuſatius, nihilominus ex ſe videri Diabolos negant (pauci putant, *transformare Angelos propria ſua corpora & condenſare quaſi, adeoque ad hominum ſenſus accommodare. V. Thyr. de app. Sp. c. 7. §. 4. 5.*) ita nos multo magis, qui ab omni materia per eſſentiam abſtractos & immunes Spiritus eſſe perſvaſiſſimum habemus, conſpici eosdem per aliud, mediantibus nempe nunc cadaveribus recens demortuorum, nunc formatis ex varia elementari materia corporum ſimulacris, conſtanter aſſeveramus. *Formas enim inſtar Prothei ſe vertit in omnes, hoſtiliter inſequens, fallaciter ſubveniens, utrobique nocens,* verba ſunt *Aug. X. de C. D. 10.* Cumque e cenſu ſubſtantiarum creatarum nulla uſpiam immediatum ſuarum actionum ſit principium, conſentientiſſimis eruditorum ſuffragiis; igitur facultatem aſſumendi corpora iſtiusmodi, inque iis apparendi, activum illud principium, quod exſerunt, cum *Pnevmaticis* ſignamus. Exſerunt autem quando vi ejus viſibilem illam materiam, non quidem eſſentialiter aut hypoſtatice, (ut voliut *Tertullian.*) ſed (ut *Scholaſtici Aureolus ap. Capreol. Gregor. de Val. diſp. 4. Tom. I. q. 2. punct. 1.* evincunt,) παραστατικῶς & accidentaliter tantum ſibi unitam in modum motoris, ſed interius abditi gubernant, atque ita unum per accidens cum ea conſtituunt. Sed ad θεολογικώτερα recto pede progrediamur.

§. XI.

IMPULSIVA cauſa tum interna ſ. προηγουμένη eſt, *tum externa* ſ. προκαταρκτική. *Illam* quærimus in ingenio ſtudiisqae Sathanæ perverſis, ac deprehendimus *odium Dei hominumque*, quo flagrat pertinaciſſimo, unde ipſi inſatiabilis illa libido reddendi Deum hominibus inviſum per mendaces calu-

mnias, infeſtum per accuſationes delatorias. *Conf. Gen. III, 5. Apoc. XII, 10.* unde deſiderium in ignominiam victoris ſui Michaelis illius omnipotentis, omnem lapidem movendi. *V. Gen. III, 15. Apoc. XII, 12.* Unde claſſicum, quod canit, ſuſcitaturus mundum omnem ad ſolennem apoſtaſias panegyrin. *Apoc. l. d.* unde anhela ſitis prædæ humanæ, quam *ut leo quærit. ungve avaro, 1. Pet. V, 8. ut Venator captat laqueo multiplici. 2. Tim. II, 25.* Deprehendimus *ſuperbam indolem, Spiritus elatos, arrogantes animos*, quibus ſtimulatus ſeſe partim blando & radiante vultu quaſi dominum cœli, terræ moderatorem, fatorum arbitrum, præſidem fortunatum oſtentans, partim noxia formidoloſa imagine Ultorem iniquitatis, Vindicem ſcelerum atque iram Nemeſin mentiens, illic ambit amorem hominum, hic timorem incutit, utrobique quandam ſibi divinitatis opinionem conciliare ſatagit. Quantum deinde ad *cauſam impulſivam externam*, ἀφορμαὶ atque *occaſiones* non unius generis illam ſuppeditant. Sunt enim *aliæ generales:* ut quod videt Deum aliquando præſentiam ſuam, illam omnis boni fontem, interminabilem, teſtatum externis etiam ſignis eſſe: quod obſervavit ex indultu ejus ſingulari, Mentes Angelicas nonnunquam ſupra vim atque dulcedinem oculorum mortalium, uſurpandas iis ſeſe gravibus de cauſis oſtendere: quod novit plerosque hominum animos raræ hujusmodi novitatis perquam eſſe avidos. Inde captat dehinc tanto ſtudioſius decipiendi anſam, quanto latius patere ſibi fallendi viam perſentiſcit. Sunt *aliæ ſpeciales; quæ nunc naſcuntur ex hominum quibus apparet conditione.* Qui alliciunt ipſi illicitis modis atque artibus, Magi, Necromantæ, Venefici, ſæpiſſime omnium vident phantaſmata. Diffidentiæ filios, crudeles, immorigeros, blaſphemos & hujus farinæ ſ. furfuris potius alios, facilius adoritur, quam eos, in quos vita innocens parum ipſi relinquit poteſtatis. Doctoribus inprimis recentibus quam aliis

nego-

negotium faceſſit lubentius. At Ethnicos, ad hæreticos, ſuperſtitioſos item & dubius in fide frequentius, quam ad confirmatæ notitiæ fideles inviſit. Timidos ſeligit ut plurimum præ animoſis, mulierculas præ viris, triſtes melancholicosque præ vegetioribus exſertique animi, languentes & moribundos præ ſanis. Summatim, quos penes aſtibus ſuis profecturus ſibi optime videtur, hos imprimis aggreditur. *Nunc naſcuntur ex materiæ aſſumendæ parabili affluentia;* quando inhumata offendit cadavera, quando præſto ſunt varia tetricorum animantium monſtra, quando circa cæmiterea, circa fuliginoſa & paludoſa loca in tempeſtatibus graviſſimis vapidi, obſcuri, nebuloſi, & impresſionibus ſuis accommodi aeris copia plurimum ſuppetit. *Nunc naſcuntur ex loci circumſtantia*, ſ. ſacri, ſ. profani, aut ſubterranei aut ἐπιχθονίου, vel deſerti vel culti. *Nunc naſcuntur ex temporis adjuncto*, nocturnis videlicet tenebris: *Nunc aliunde.* Exemplis illuſtrare ſingula de facili foret, prolixæ tamen operæ, qua merito hic ſuper ſedemus, *tum* quoniam in exercitatione priori multa jam commemoravimus, *tum* quod alii totis admetiantur non modiis, ſed horreis: *Thyræus de app. Spir. c. 9. ſeq. l. de locis inf. c. 1. & ſq. Delr. Diſqv. Mag. l. 2. q. 27. 28. tot Leloyher de Spectris.* aliique: præcipua videre licet *ap. Chemn. par. 3. Exa. p. m. 548. ſq. Bald. Caſ. Conſ. l. 3. c. 7. Dorſch. Sept. Ang. diſſ. 6. p. 439. ſeq. tum denique* quia parcendum chartis eſt, ad arduiora deſtinatis. Sunt tandem *aliæ prorſus ſpecialiſſima* ἀφορμαὶ e ſingulis apparitionibus ſigillatim eruendæ, niſi temporis potius diſpendium, quam operæ pretium facturi nobis videremur. Quare ad alia.

§. XII.

FINES tribuo in *primarium & ſecundarios, in remotum & propingvos, in generalem & ſpeciales. Illum* Dei contem-

tem.

temtum eſſe, perniciem hominum ac moleſtiam, nemo eſt, qui neſciat. Huc omni & loco & tempore, & conatu & ſtudio nervos omnes intendit *Abaddon*, *Apollyon*, etiam cum minime conjecteris, cum contegit maxime ungves, & quaſi gloriam quærat divinam, quaſi ſalutem noſtram curæ cordique ſerio habeat, præ ſe fert ſpecioſiſſime. *Hi* vero immenſa varietate poſiti ſunt, ipſorumque numerum inire ac rationem diſtinctam reddere qui volet, *Hunc ego littoreas numerare fatebor arneas Poſſe, vel in magno radiantia ſidera cælo.* Tentat aliquid *Thyræus l. de app. Sp. c. 10. & de loc. inf. c. 13. 14. 15. 17. 18.* Nondum tamen hoc pelagus exhaurit. Scilicet apparet majeſtate circumdatus, *ut cultu excipiatur divino:* Angeli lucis habitu, *ut lætum videatur afferre Evangelium:* hominis vultu, *ut naturæ ſimilitudo ſit facilioris admisſionis pararia:* forma monſtri, *ut terreat vehementius:* gentilibus, *ut prorſus infatuet tandem ac dementet:* heterodoxis, *ut in ſuperſtitione confirmet:* Docentibus, *ut per unum multis noceat, ſi obtineat:* piis, *ut a tramite recto abducat:* impiis, *ut magis magiſque implicet atque illaqueet* moribundis, *ut deſperent:* in templis ac cœmiteriis, *ut anima cenſeatur:* in metallifodinis, *ut theſaurorum mentiatur dominium:* noctu, *ut ne tam facile ſe prodat.* Uno, ſed vero verbo *ut mille nocendi artes, ita mille apparendi ſines habet μυριοτέχνης*, omnes tamen ad principalem illum tanquam centrum & ſcopum præcipuum collimantes ac collineantes.

§. XIII.

Non tamen hos aſſequitur ſemper. Eſt enim qui fibulam iſti malitiæ ſæpius imponit ſuperior vis ac potentia. Quia ſuſtineret alias tot inſultus? quis evaderet tot retia? Coercet ergo has libidines Adverſariorum DEus, neque permittit tantum, ſed & infringit ferociam atque ita gubernat, ut in bo-

num dirigat vertatque FINEM. Etenim *pios*, quando ipſis iſta obtingere patitur (1) *commone facit hoſtilis aſtutiæ malitiæque*, (2) *ſecuritatis excutit ipſis veternum*, (3) *in mentem revocat paternam, qua ipſos tutatur curam*, (4) *Angelicas, docet magni æſtimare excubias*, (5) *vitare item ea, quibus umbræ illæ inauſpicatæ exhilarantur, ſcelera puta & opera tenebrarum*, (6) *denique oſtendit, ad ſemen mulieris pertinere ipſos, neque delicatiorem ipſo illo vitam agere poſſe. Impii* vero habent, ut inde addiſcant (1) *exſiſtentiam dæmonum potentiamque*, quam ſæpiuſcule ſi non verbis, factis ſane pernegant: ut addiſcant (2) *qualibus nunc ſerviant dominis*, ac (3) *qualibus olim committendi ſint carnificibus*, (4) *item ut pœnam obſtinationis & deſertionis ſentire inter ſuperos adhuc incipiant, ac revertantur, V. 1. Cor. V, 5.* Quin & ſpeciales permiſſionis ejus conjectari licet cauſas: probat nempe fidem, ulciſcitur impietatem, tentat animos, exprobrat tenebrarum amorem, commendat preces, diſſvadet ſolitudinem, divitum præſentia notat pericula, ſtationem novitiorum doctorum difficilem demonſtrat, ſingulorum denique pro infinita pietate ſua emolumentum, quamdiu ſalva licet juſtitia ac veritate, clementiſſime accurat.

§. XIV.

Provehimur ad *EFFECTVS.* Horum *alios intra Dæmonas reperias*; gaudium puta ac complacentiam, ſi res ex voto ceſſerit; (ſine quietudine tamen, mora, vel levamine ſuppliciorum: namque & hoc ſupplicium eſt, nonniſi malis gaudere poſſe) indignationem ex adverſo, dolorem, iram, cum repreſſa ferociens ſævitia, cum animadverſa eluſaque fallax machinatio eſt. *Alii intra homines exſurgunt:* veluti lætitia, attentio, reverentia penes infideles, fanaticos, veneficos, cæteroſque, qui commercia Dæmonum ipſi cum prolubio expetunt

&

& exſpectant: intra alios metus, horror, morbi, mortes ſuccedunt: multos memoria ſcelerum vexat: aliquos conſcientiæ quies animat: hi ad preces, gratiarum actiones, illi ad illicita media convertuntur, ut paſſim exempla & hiſtoriæ oſtendunt. *Alii denique extra utrosque feruntur*, utpote qui conſequuntur ululatus, horrores, ſtrepitus brutorum, inquinatio locorum fœtida & terribilis & ſimilia, quorum iliadi aut lernæ immorari ulterius non vocat.

§. XV.

ANTECEDVNT apparitiones illa (1) *DEI permittentis certa indulgentia*, abſque qua abyſſum reſerante ſi eſſet, nunquam auras viderent ſuperas captivi rebelles, nunquam viderentur, *Apoc. XX, 1. Luc. VIII, 31.* qua etiam fit; ut multoties *adſpectabili turpidinis nota, corpore illuvioſo, fœtente, vultu furvo, naſo deformiter ſimo aut immaniter aquilo, oculis flammantibus, manibus pedibusque obuncis ac vulturinis, ſtrigoſis villoſisque brachis & cruribus, tibiis aſininis vel caprinis* atque ſic porro ſeſe prodant. *V. Balduin. l. 3. c. 2. caſu conſc. 7. p. 604. Delr. D. M. l. 2. q. 28. ſ. 3. p. m. 732.* (2) *Dæmonis circa materiæ delectum, effigiationem, agitationem ſolers cura.* Non eſt idem, pro utitur, apparatus. Seligit ex eo callidus impoſtor prudenter, quæ conveniant huic fini, huic perſonæ, huic tempori. Convocat lucem amicam oculis, ſonos dulces auribus ingerit, offert naribus odoſes ſuaviſſimos, quando allecturus incautos eſt. Quando territurus noctem erebi, ſtrepitus phlegethontis, fœtorem Golgathicum conquirit. Neque colorem abſque conſilio toties variat, neque formam tum humanam, *jam macilentus, jam ignoto vultu, jam inſolita magnitudine, jam ignoto vultu, jam cognito emicans:* tum brutam *equi, muris, lupi, ſerpentis, hirci, canis, tauri, noctuæ plumas, pelleſve ſimulans:* tum monſtroſam, dum *Centaurus, Gi-*

gas, Chimæra, Eumenis, Cerberus, Empuſa &c. videtur. Quin circa tempus quoque, locum, ac circumſtantias alias ea aſtutiſſime attendit, quæ nobis ne quidem aſſequi licet. (3) *Hominum quoque aliquando peccata* inprimis (poſt blaſphemias, exſecrationes, homicidia, geminaque) magicæ evocationes & conjurationes, de quibus paſſim *Delr. Bodin. Remig. Wier. Malleus Melef. &c.* temeria item curioſitas, petulans confidentia, audax fictio; V. quæ *inferius* dicentur §. 45.

§. XVI.

CONNEXA cum apparitione Sathanica multa ſunt præſtigiatoria & realia, jocularia & ſeria, objecta oculis, auribus, tenctui, phantaſiæ: (quo ſpectant disquiſitiones *de ſagarum conventiculis, de incubis, ſuccubis, ephialtis, vagionibus, cambionibus:* in quibus nos mediam tutiorem exiſtimamus viam, neque ſemper, quando ea jactant mancipia Sathanæ annuentes, neque in univerſum deluſionibus omni reali effectu caſſis, præter teſtium & hiſtoriæ fidem adſcribentes) nobis autem imprimis commemoranda hic *Revelatio peculiaris* eſt, quam *Articulis fidei, de moribus, de futuris, de ſtatu mortuorum* ſæpius, præcipue quando ſe in Angelum lucis transfigurat vel animam mentitur ex inferis ſuperisve reducem, vetus ille mendax annectit. Quo pertinent ex gentiliſmo aliqua, quorum fraude vera æterni Numinis veneratio exſulavit; admodum multa e Papatu, de quibus in compendium coegit plamaria *B. Chemnit. par. 3. Exa de purg. p. m. 548. ſeq. & B. Meiſn. de purg. c. 8. p. 701. ſeq.* Nos quibus exemplis impræſentiarum opplere chartas volentibus non eſt, enarraturi *ſeqq. capp.* quam periculoſe his Sirenibus aures adhibeantur patulæ, quam merito obturentur, nunc tranſimus ad.

§. XVII.

§. XVII.

CIRCUMSTANTIAM LOCI. Vix eſt, qui excludat dæmonem locus. Comparet *inter ipſos DEI Filios*, beatisſimas mentes *1. Reg. XXII, 21. Job. I, 6. Coram Angelo Domini ad Joſuæ latus conſiſtit Zach. III, 1. ſub oculis DEI cum Michaele de Moſis Corpore contendit, Judæ Ep. v. 9.* Cum enim habeat a DEO non a loco, quod ipſi inflictum eſt, ſupplicium, etiam in medico Cœlo ardere flammis damnationis poteſt. Quanquam iſtud Cœlum, in quo πολίτευμα noſtrum inexplicabile ſanctis præſtolamur deſideriis, circumſcriptus locus atque dimenſus per certas lineas non ſit, nec admittere ad felicitatem ſuam infames iſtos hoſpites ſoleat. Cæterum in mundanis plagis undiquaque fere circumvagatur in aëre pendulus, inter ignes medius, per aquas vagus, ſub terris negotioſus; adſpectabili tamen & ſenſibili ſpecie loca alia præ aliis infeſtat frequentius. Sæpe quidem certos inſequitur quaſi homines, ut *Neronem apud Sueton. in vita ejus c. 34. Ottonem Imper. ap. Eund. in V. ej. c. 7. Pauſaniam ap. Plutarch. in Cimone.* Sæpius tamen loco certa præ reliquis quaſi deligit ac diligit, veluti de *deſertis* jam inſinuavimus ex *Eſa. XIII, 21. XXXIV, 14. Conf. & Math. IV, 1. Apoc. XIIX, 2. De vaſtis arcibus ac ædificiis* propemodum idem experientia docet. *Fodinas metallicas Coboldis*, quos vocant, habitari eadem teſtatur. Ecquid dicam *de locis quæ ſangvine humano præſertim innocente, ſunt inquinata? de ſacris Ædibus & Sepulchretis?* ubi nempe ad ſuperſtitiones & erroros varios diſſeminandos parata invenit arva. Vide multa de his *ap. Thyr. de Locis inf. c. 1. ſq.*

§. XVIII.

TEMPORIS ADJUNCTUM porro conſiderandum eſt. Sunt ejus diſtributiones variæ, articuli autem & denomina-

minationes pæne nullæ, quæ non etiam apparitiones noſtras metiantur atque admittant. Imprimis v. nocturni temporis a diurno huc facit deſtinctio, ad quam reſpicientibus, fatendum quidem ultro eſt, alligari dæmonas ad neutrum, ſed utroque & poſſe & ſolere terriculamenta ſua mortalibus objectare; neque tamen & hoc diſſimulandum, non tam frequenter hoc agere ipſos interdiu, quam nocte, quæ quaſi proprium ſcamina ſpectrorum, qua cum robur plurima quaſi ſumunt, pronunt. Unde etiam *nonnulla* §. 7. *nomina:* unde Umbrarum ſymata; unde lucifugorum genus *Pſello. V. cum eod. Thritbem l. ad Maxim. Imp. q. 5. Delr. l. 2. D. M. c. 2. ſ. 2. n. 8. & Comm. in Merc. fur. Senecæ v. 123.* unde *crediti gentilibus Dii* h. e. Dæmonia *ſub nocte ſilenti, cum altus urgeret mortales ſophor, deſcendere Cælo V. Voſſ. l. 2. idol. c. 1.* Nempe *Principes & poteſtates tenebrarum, Eph. VI, 12. qui ſemper oderunt lucem nunquam non male agentes Joh. III, 20.* quique olim *cum fletu & ſtridore dentium in exterioribus tenebris æternum habitabunt, Matth. IIX, 12.* quando terrere commodius queunt, quam nocte nulli amica? quando tumultus excitare ſonantiores facilior opera, quam in iſto taciturno ſilentio? Neſcio tamen, an quotidiana magis advertentia, an ſuperſtitio popularis meridiem intempeſtæ noctis ipſam quaſi propriam his nuncupet Sathanæ ludibriis. Id certum magis eſt, ex obſervatione non una ſtates acceſſus pariter & diſceſſus in Ædium præſertim infeſtatione obſervari quandoque horas, alia item ex illis oberrare diutius aliis. Plura addere hic non attinet.

§. XIX.

CONSEQVUNTUR (1. DEI aut increpatio, quæ cœpto abſiſtere Inimicum jubet ne ultra ſuſtinendi vires tententur imbecilles, *Zach. III, 2. 1. Cor. X, 13. aut traditio deſperatæ malitiæ hominum, conjuncta cum deſertione non* οἰκονομικῇ καὶ παιδευτικῇ; *ſed*

ſed τελεία καὶ ἀπογνωςικὴ, uti *Demaſcenus* amat diſtinguere. Id quod cumprimis eluceſcit in gentilibus in reprobum ſenſum datis, deferentibus DEI benedicti incommunicabilem gloriam iſtis Diaboli larvis: nec minus in maleficarum peſtilenti agmine, quod patitur ab iſtis neſcio quæ deteſtanda & exſecranda: poſtremo in corporaliter obſeſſis, quibus ſæpe etiam fœda facie apparet ante Sathanas, quam intrat lachrumabile domicilium *V. Balduin. l. 3. c. 3. Caſu I.* (2. *Dæmonum diſparitio*, cum vel ſubducunt obtutui circumgeſtata cadavera & deponunt, vel coagmentatas ex varia vaporum conflugè formas (aliquando non ſine graveolenti fœtore) diſgregando annihilant. Non enim prorſus deſtruendo & ex natura rerum auferendo hoc præſtant, ſiquidem id cum divina ex nihilo aliquid producendi potentia pari paſſu ambulat & retrocurrit. (3. *Hominum aut emendatio* ardentius DEUM invocans, ſtudioſius atrocia delicta cavens, ſollicitius de actionibus ſuis diſponens: *aut obſtinatio gravior & peccata peccatis cumulans ſecuritas*, exitii præſentis certus anteambulo. V. jam de his aliqua *th. 14.*

§. XX.

COGNATA Dæmoniacæ apparitioni eſt *Obſeſſio ſ. occupatio tum hominum*, quando eorundem corpora αὐτοπροσώπως ingreditur & illætabili ſpectaculo miſere divexat. Hujus *in ſanctis N. Inſtrumenti paginis* exempla præſto ſunt ſatis numeroſa. *V. Mat. IIX, 28. IV, 24. IX, 32. XII, 22. XV, 22. XVII. 18. &c. tum brutorum animantium;* Notiſſimum illud in Paradiſo facinus, quando ſerpenti ſe miſcuit, cujus quoties recordamur, *ſtat coma, mens horret, flet. gena dextra riget.* Deinde manifeſta eſt illa *integræ legionis in porcos Gergeſenorum migratio Matth. VII, 13.* Neq; dubium eſt in λυκανθρωπίας præſtigiis aliquando in ac per lupos veros Sathanam id præſtare, quod Magis Sagisve abre-

ptitiis vaferrime imprimit. V. *Wier. l. 3. de præſt. dæm. c. 10.* Sed & illud veriſimile eſſe docet *Celeb. Dn. D. Dorſch. diſſ. 6. Septen. Ang. p. 462. ſq. quod cuneos aranearum, ranarum turmas, populos locuſtarum, exercitus murium quaſi Imperator quidam educat, ordinet, dirigat, perque eosdem fortunas hominum arrodat.* Differunt autem iſtæ Operationes ab Apparitione multis modis. Nam in hac Corpus externum ſine informante ſpecifica forma conflatum & aſſumtum eſt in aliquam unionem, quantumlibet accidentalem, in nominis quoque communionem quodammodo, ſine aſſumti vel occupati vitio, aut ſenſu, aut renitentia, quæ de obſeſſione dici æque omnia non posſunt. *Cognata* porro ſunt *terriculamenta auribus objecta*, oracula vetera e ſpecubus, locutiones e calvariis, ſtatuis, imaginibus, ſaxis, arboribus datæ, ſtrepitus mortis indices ſive propriæ ſ. propinquorum. *Cognata ſunt ſomnia Diabolica. Cognatæ ſpuriæ inſpirationes* in Pſeudoprophetis, ἐγγαστριμύθοις μαντεῦσι vatidicæ. *Cognatæ fictiones Spectrorum* in Papatu olim non inſolentes. *V. Meiſn. Opuſc. cit. de purg. c. 8. p. m. 765. ſq.* At nobis immergi tam vaſto tot meditationum mari religio eſt.

§. XXI.

Ad *PUGNANTIA* deſcendimus atque *OPPOSITA. Epicuræi*, quibus cum inferno dæmones fabuloſorum inanium loco ſunt & pupæ commentitiæ, derident dicta hactenus dubio procul omnia, cumque iis *Sadducæi veteres* & qui illorum deliria multa ſuſcitarunt *inter Anabaptiſtas Libertini* naſo pariter ſuspendunt adunco. Quibus tamen nihil amplius reponimus. In tanta luce rerum cæcutire tamen velle, ſummæ pronunciamus opus inſaniæ. Oppugnant porro tradita, neque tamen valentiori ariete, qui *Caſſii, Democriti, Plinii, aliorumque Philoſophorum* oggannium voces, *mulierculas, pueros, vecordes, male-ſanos decipi*

cipi per imbecillitatem animi his talibus imaginationibus, fortes viros immunes eſſe. Non dejicient autem & illi mœnia hactenus ſtructa. Graves & omni exceptione majores adſiſtunt teſtes, ſolidæ proſtant cauſæ & rationes: neque adeo viri deſunt, neque muri. Tandem *pugnat in ſpeciem* quod in ſacris aliquoties recluſi dicuntur Spiritus nequam in infero, qui e viventibus apparere queunt: Reſpondimus §. 9. Nunc adde, locum inferni qualis ſit & ubi hæreat, exploratum non eſſe, adeoque nec opponi apparitionibus merito poſſe.

§. XXII.

Colligimus ex dictis *DEFINITIONEM* & dicimus quod: *Apparitiones Dæmonum ſint operationes ipſorum externae, quando in aſſumpta viſibili aliqua ſpecie in ſenſus hominum objective agunt.* Sive plenius: *quod ſint Actiones daemonum voluntariae, quando ipſi vi potentiae Angelitae, DEO permittente, corpora ſive mortuorum ſeu nova circundant, inque iis ſeſe certis ſed variis locis atque temporibus conſpiciendos praebent, ut terrendo homines, decipiendo ac deducendo in errores & exitia, odium ſuum erga DEUM & homines implacabile exſerant & exerceant.*

CAPUT III.

Ἀνασκευαστικὸν *ſeu Antitheticum.*

§. XXIII.

Tria cum primis ſunt, de quibus in hoc capite cum Pontificiis contendere placet, a præſenti materia non aliena. *1. Sitne triplex Spirituum genus, quod loca hominesque multifariam infeſtat? 2. fueritne verus Samuel qui Sauli apparuit 1. Sam.*

 XXIIX,

XXIIX, *an Spectrum potius Diaboli?* & tandem 3. *annon idem in jactatis tot apparitionibus Angelorum & B. animarum ſubſit autor fabularum vaferrimus?* His enim rite diſcurſis tum ruinoſum illud Purgatorii pægma, juxta cum ſuperſtructis abominationibus cæteris tibicine privabitur præcipuo, eaque fultura, cui non parum debuit hactenus; tum alia errorum Pontificiorum monſtra ſimul pudefient. Prius tamen deſultoria opera perſtringemus nonnulla etiam alia τερετίσματα Jeſuitica, quæ nunc expoſitis parum reſpondent.

§. XXIV.

Nomen dæmonii meridiani præteriimus ſupra, eorum ingratiis procul dubio, quibus *Latina* illa, quam *Vulgatam* dicimus, *verſio*, avthentica omnino & infallibilis eſt. Nempe legit illa *a fontibus Ebr.* longiſſime recedens *Pſal. XCI, 5. 6. Non timebis a timore nocturno, a ſagitta volante in die, a negatio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano.* Ubi initio *timorem nocturnum Delrio l. 2. q. 27. ſ. 2. n. 8.* cum *Chaldæo Paraphraſte & Naz. orat. de ſacr. bapt.* occultas Diaboli, & quas ex inſidiis fabricatur, machinationes exponit. Deinde *negocium in tenebris perambulans Tritbem. l. ſup. all.* ad ſexum refert Dæmonum genus, lucifugum, imperſcrutabile, ac penitus tenebroſum. Recenſet *Delr. l. d. p. m. 676.* diſcedit autem *p. 683.* ab hac *Abbatis & R. Salomonis* ſententia; *a verſione* tamen *Vulg. L.* non item, cum qua & *LXX. Interpretibus* legendum adhuc eſſe דבר πρᾶγμα, *negocium*, non cum *Maſoretis*, *Vatabl. Hieron.* דבר (*peſtis, lues*) dictatoria autoritate præter omnem Codicum fidem pronunciat. Tandem verba *ab incurſu & dæmonio* (quaſi eſſet וישר *meridiano*, per hendiadyn dicta, & idem eſſe vult, ac *ab incurſu dæmonii meridiani*, h. e. ſpectri a loco & tempore, quo apparet, denominati. Laudat interpretationis

nis teſtes *LXX. Senes*, *Nicetam*, *Euthym.* & *Theodoretum. Thyræus* inſuper *Thalmudicos*, *R. Salom. Chaldæum* & *Genebrardum: l. de L. I. c. 35. §. 7.* Sed conſtans & intemerata *Ebræi Codicis* lectio palam repugnat. Sic enim habet: מקטב ישוד צהרים h. e. ſecundum *Pagninum: ab exitio* (quod) *vaſtat meridie. Luther.* für der Seuche die im Mittage verderbet. Nihil e. homini ſ. e. hic de ſpectris diſerte commemorat Propheta Regius, ſed pio homini ſ. latentis periculi nihil quicquam per totum diem metuendum eſſe, nec nocte nec die media, neque mane neque veſperi, (quæ apud Ebræos τȣ̃ νυχθημερινȣ̃ quadripartita diſtinctio eſt) ſvaviſſimo μεριςμῷ conceptis verbis enuntiat. *V. Scalig. l. 1. Epiſt. p. 95. Sixtin. Amama Antibarb. Bibl. par. 1. l. 3. p. 833. 834.*

§. XXV.

Circa *Efficientem cauſam*, ex quibus Ordinibus Diaboli illi rebus humanis miſti ſint, curioſus admodum eſt *Thyræus*, *l. de app. Sp. 1. c. 9. §. 7. ſq. l. de L. I. c. 4. §. 5. & c. 6. tot. l. de demon. c. 12. tot.* Notum enim eſt, quod in tres Hierarchias, novem ordines cœleſtem militiam diſtribuant communiter Papicolæ, hauſto errore e ſuppoſitiis illis *de Cœl. Hierarch. libb. Dionyſio Arcop.* aſſignatis, quem deinceps mira temeritate usque adeo adauxerunt, ut *nominare Imperatorem, Legatum, Theſſerarium, Tribunos, Quæſitores, Ordinum Doctores, Conquiſitores, Centuriones, Menſores, Metatores, Anteſignanos, Signiferos, Primipilos, Buccinatores, Æneatores, Feciales, Caduceatores, Milites limitaneos, præſidiarios, ſtationarios, & ſingulos pæne in univerſa acie numerare audeant*, (verba ſunt *Celebratiſſ. Dorſch. Sept. Ang. diſſ. 3. p. 176.*) quaſi ſtipendia plura inter illos meruiſſent, dimiſſi tandem aut transfugæ. Eadem audacia pæne Diabolorum choros & acies (nam credunt eosdem divini Regiminis formam ad emuſſim exprimere, *V. Corn. 4. L. in Apoc. l. 4.*) deſcribunt,

ordinant, diſponunt: atque hinc non proletariæ curæ negocium *Thyræo* videtur, determinare, ex quibus ordinibus emiſſæ ſint illæ coloniæ, quæ turbant res noſtras: illæ copiæ, quæ loca hominesque inhabitant & contaminant. Tacuit Scriptura, (quid enim iſta revelaſſe attinebat?) & inter Diabolos *aliquem quidem principatuum & poteſtatem, fortiorum & deteriorum inſinuavit ordinem, Luc. XI, 18. 26. Math. XII, 25. 26. 27. Eph. VI, 12.* qualis autem & quotuplex ſit, nuſpiam determinavit. Quis illa tacente loquetur? Niſi Jeſuita ſit, h. e. rana impudens & impotens ſui. Quorſum opus ineptiis? Ecce enim quam abſurda ſint, quæ, loquitur: nam hæc eſt diſputationis ſumma: *Quamvis ſuperiorum Ordinum Dæmones curare humana non debeant, quemadmodum curaturi non fuiſſent, ſi in ſtatu gratiæ perſtitiſſent: quamvis item conveniat, ut gravius puniantur, neque unquam leventur e carceribus quippe qui gravius peccarint:* (nempe non ſatis erat Magiſtro huic ceremoniarum, Diabolorum reprehendere Principes, tanquam decori & majeſtatis ſuæ minus obſervantes: divinam quoque carpit gubernationem, quaſi quod convenientus fuerat inhibitura, permittat.) *tamen præter naturæ conditionem & rationis judicium etiam illos aliquando, licet rarius, aſſumtis corporibus inter homines vagari: quoniam jura naturæ & dignitatem parum attendant, magis horreant infernum quam reliqui, magisque hominibus nocere geſtiant; quoniam denique ratio ſtatus* (nimirum hæc ad orcum quoque pertinet, quam Miniſter ejus tam exacte callet) *non impediat.* Audis meras principii petitiones, contradictiones perpetuas (V. *l. de terricul. noct. c. 7. §. 3. 4. 10. 11.*) τυφλὸν ὄνειρον, λῆρος λῆρος.

§. XXVI.

De *Materia elemantari*, qua utitur Adverſarius, ſi philoſophari allubeſceret, idem ille *Thyræus* depoſcendus foret,

qui

qui *l. de app.ſ. c. 7. §. 8.* veluti *Greg. de Val. To. 1. diſp. 4. q. 2. punct. 2.* quoque facit, ſolum ſubſtituit aerem, cum ſubtrahi alias tam ſubito non poſſet, aut, ſi ignis eſſet, circumquaque admoda depaſceret. Tranſigat v. cum *Scoto, qui 2. diſt. 5. unic.* diſputat, *Angelum ex uno elemento corpus ſibi efficere non poſſe: cum Thoma, qui 2. 2. q. 114. ar. 4. craſſiores exhalationes, obſcuras lucidas admiſcet*, quod *Molina* quoque ſentit & *Delr.* V. hunc. *D. M. l. 2. q. 28. ſ. 2.* immo cum Natura ipſa ſuisque hypotheſibus. Conſpici purus aer non poteſt, ut qui perſpicuus viſum non terminat. Sed pergimus.

§. XXVII.

In *Cauſarum impulſivarum* προκαταρκτικῶν evolutione etiam hæreticorum facta a nobis eſt mentio, quos quam alios, frequentius inviſat plerumque Sathanas. Hic *B. Lutherum* noſtrum lingvæ maledicorum inceſſunt nequiter. Neque *Thyraeus ll. dd.* oblata qualicunque calumniandi anſa parcus in hoc genere eſſe voluit, ſed prodigus. V. *l. de app. ſp. c. 9. §. 3. l. de daemon. c. 21. §. 252. 253. l. de L. l. c. 17. §. 15.* Recenſet n. *quomodo ſalutatum Diabolus de Miſſa multis informarit, argumentis quomodo ſalis cum ipſo plurimum comederit, quomodo inſederit ejusdem humeris ſpectante Max. I. Imperatore, quomodo Carolus V. etiam publice non hominem ſed Diabolum hominis perſona indutum appellaverit.* Sed hæc ex Patre mendacii hauſit. Quantum enim ad I, Tentatio fuit, non inſtitutio, neque in externa forma, ſed corde B. Viri facta, *V. initium narrationis Tom. 6. Jen. Ger. l. de miſſ. ang. f. 82. II*, verba parœmialia, nihil quicquam aliud, quam quotidianum tentationum innuunt experimentum, ex libro inſuper tali petita ſunt, quem neque vidit unquam, neque approbavit *Lutherus.* ἔγκλημα III. & ex ſilentio præſtantiſſimorum quorumque & probatiſſimorum ejus ætatis

Hiſtoricorum, & ex circumſtantiis additis, & ex litteris glorioſi ejus Imperatoris facile convellitur. IV. nihil omnino huc facit aut probat, nam cur quæſo alias Eccleſia Romana ſublimem illam, quam in Diabolos ſe habere gloriatur, poteſtatem hic non exſeruiſſet? At quid juvat *poſt Homerum Iliada* meditari? Protritæ jamdudum hæ criminationes ſunt. V. inprimis *B. Balduin. tract. de diſp. Diab. cum Luth. Islebii A. 1604. edit. it. Phosph. Cathol. 3. c. 25. ſeq. Gerh. Conf. cath. l. 1. Append. p. 931. 932. 936. & l. 2. art. 5. c. 4. p. 1226. Brochm. lychn. par. 3. c. 8. ſ. 7. p. 228. ſeq.* Quibus locis una de Pontificium Romanorum familiaritate cum Dæmonibus ſingulari aliqua, quæ ſibi magis conſtent, addiſces. Adhæc nec a ſanctis Dei hominibus omnino ſe abſtinet Tentator, fatente ipſomet *Thyræo noſtro de L. I. l. d.* unde ſi damus etiam *Luthero* ſpectra quandoque inſultaſſe, non tamen proptera ſtatim in hæreticorum claſſes erat referendus.

§. XXVIII.

De *Finibus* abſurda quoque habent non pauca. *Thyræus l. de terric. noct. c. 6. §. 9.* putat, *excitare Spiritus pravos inferiorum ordinum ſtrepitus mortis prænuncios, ut ſit ea occupatio aliquod miſeriarum levamen, dum ad pœnas ſuas tanto minus attendant, quanto magis ludificationibus iſtis externis diſtrahantur.* Id quod *Gregorio de Val. diſp. 4. To. 1. q. 15. col. 1235. A. Molinæ, & Scholaſticis aliis* contrarium eſt, ipſius etiam *Thyræi* locis aliis. *V. l. de L. I. 13. §. 8. Idem l. d. §. 16. DEUM dicit permittere apparitiones Spirituum ea etiam fini, ut oſtenderet magnam eſſe virtutem reliquiarum & conſecratorum rerum* At v. perſvadere iſtud animis ſuperſtitioſorum Diabolus quidem intendit; DEUS autem non item. Videbimus *infra §. 47. 51. Delrio. l. 2. D. M. q. 28. ſ. 3.* de monſtris, quæ moribundis

adſtant

adſtant ex *Surii menſe Sept.* & *Fulberti vita Aichardi recitat, hoc a DEO permitti, hic ut ipſe terror tam horribilis viſionis expiet. in ſanctis, ſi quid adhuc expiandum in illis eſſet reliquem.* Angelum hanc rationem *B. Aichardo* reddidiſſe, adjungit. Sed quis ille? in quem *Pauli* fertur anathema *Gal. I, 8. 9.* Prædicavit enim alıud ab iſto Evangelium D. ille gentium Doctor, expiationem noſtri & reconciliationem uni Chriſto paſſim tribuens, nusquam meritorio noſtro operi aut ſatisfactorio pavori. Sit e. anathema iſte præco, & valeat *Delrio* cum fine commentitio.

§. XXIX.

Antecedens ridiculum *Thyræus* ſibi fingit *l. de L. I. c. 15. §. 4. quod nempe in deſertis locis indicia quædam artis faciant dæmonis & vires quaſi ac lacertos ibidem experiantur. Loca paludoſa* ut demonſtret *idem* præ aridis arridere ſpectris, protucit Salvatoris verba *Luc. XI, 24. ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem & non inveniens:* quæ tamen Patres ad eos applicant, qui extra Eccleſiam gratiæ fluentis irriguam agunt. *V. Gerhard. diſp. Iſag. 14. c. 8. § 6. p. 607. Tempori nocturno* inſinuando *Delr. D. M. l. 2. q. 27. ſ. 2. p. 684.* perverſe accommodat *verſum 20. Pſ. CIV. poſuiſti tenebras & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſilvæ.* Sed non licet hæc & ſimilia ulterius perſequi. Ad primam e potioribus tribus controverſiis accingimus.

§. XXX.

Tria eſſe Spectrorum genera non ſemel inculcat *Thyræus*, inprimis *l. de L. I. c. 3.* adjungens Diabolis animas damnatorum & purgandorum hominum. De illis res in confeſſo, de his quæſtio eſt, quam A. ipſe, nos N. Tu, *B. L.* ut arbiter æquus, quis cauſa cadat, rite dijudices, eandem ante omnia &

controverſiæ ſtatum cognoſce attentius. Q. inter nos in præſenti (1. *Non de cœleſtibus Spiritibus æterna beatitudine fruentibus; ſed de inferis.* Eo quidem impudentiæ procedit Jeſuita, ut *l. d.* §. 5. & 6. audeat profiteri, *ſe non repugnaturum omnino, ſi quis etiam per cœlites ſ. angelos ſ. animas infeſtari loca cum hominibus, convincere velit.* Aſt præterquam quod ſuſpectæ illorum pleræque apparitiones ſint, quas frequentiſſimas jactant, quaſi ſubinde monſtrandi forent, ne periiſſe putentur; effrons ſane hæc pervicacia eſt, modeſtiſſimis mentibus moleſtias tribuere, turbas & inquietationes horridas feliciſſime quieſcentibus, a gentibus in glorioſa luce communes cum tenebris operas. Neque meretur, ut profligandæ eidem ullum addamus verbulum. (2. *Non de apparitione imaginaria, multo minus intellectuali; ſed corporata,* ut *D. Iſidorus* vocat. Nam fatetur ipſe *Thyræus ibid. c. 23. §. 26, 27. quod immediate humani Spiritus afficere phantaſiam noſtram nequeant, cum ne quidem formare ſpecies rerum extra ſe & per ſe, nedum imprimere aliis citra externorum ſenſuum organa poſſint.* Quo inſigniter faciunt *Auguſtini in lib. de cura pro mort. capita 10. 11. 12. 13.* Arbitratur enim illibi Beatus Præſul, cum ferrentur ſua quoque ætate mortui nonnulli vel in ſomnis, vel alio quocunque modo apparuiſſe viventibus, eosdemque de curanda inhumatis ſuis corporibus ſepultura monuiſſe; talia illis non tantum non operantibus, ſed ne quidem ſcientibus fieri. *Sic infirmitas humana ſeſe habent,* ait ibidem, *ut cum mortuum in ſomnis quisque viderit, ipſius animam ſe videre arbitretur: cum autem vivum ſimiliter ſomniaverit, non ejus animam neq; corpus, ſed hominis ſimilitudinem ſibi apparuiſſe, non dubiat: quaſi non poſſint & mortuorum hominium eodem modo neſcientium non animæ, ſed ſimilitudines apparere dormientibus,* & quæ ſequuntur. Conf. & *Thom. Suppl. ad 3. q. 69. art. 3. extr. it. q. 89. art. 8. ad 2.* (3. *Non utrum animæ abſentes* ἰσεροπεροσώπως

ac

ac repræſentative ſaltem videantur; ſed num praeſentes & egreſſæ ſuis receptaculis αὐτοπροσώφως & perſonaliter ſeſe ſiſtant. Illud enim multoties fieri illuſione dæmonum utraque manu largimur (4. *Non denique Q. an per Dei abſolutam potentiam poſſint; ſed an ſecundum ejus voluntatem revelatam ſoleant redire ad nos mancipes illi tenebrarum Spiritus:* non *Q. an omni modo talis apparitio impoſſibilis; ſed an actu ipſo & exemplis non inſolentibus evidenter ſit demonſtrabilis.* Hi ſunt cancelli, intra quos diſceptanda hæc lis eſt & definienda.

§. XXXI.

Luſtremus nunc præſidia partis adverſariæ, quibus ſuam de egreſſu animarum purgandarum ex purgatorio, damnatarum e limbo infantum & inferno, ſententiam tueantur. *Hoc etiam CREDI POTEST, quod aliquando damnatis contingat, quod ad eruditionem ſuorum & terrorem permittuntur viventibus apparere, aut etiam ad ſuffragia expetenda, quantum ad illos, qui in purgatorio detinentur, ut per multa quæ in 4. dial.* Gregorii c. 36. 40. 55.) *narrantur, patet.* *Thomæ* verba ſunt *Suppl. ad 3. q. 69. art. 3. §. Reſpondeo. Certum eſt*, inclamat *Greg. de Val. To. IV. diſp. XI. q. 1. punc. 2. per providentiam & diſpenſationem peculiarem div. poſſe ex cælo etiam & ex inferno ſic egredi animas ad tempus propter ſtructionem aliquam vel utilitatem vivorum, ut tamen non deſinant eſſe beatæ vel damnatæ. &c.* addit exemplum ex *Aug. l. de cura. p. m. c. 16.* de Felice Nolanis præſente. *Certum eſt*, ſubjungit, *ſimiliter etiam per diſpenſationem pecul. div. poſſe aliqua de cauſa egredi animas ad tempus ex purgatorio aut ex limbo, ſicut de aliquibus Purg. animabus narrat S. Greg.* (l. ante cit.) *Bellarminus l. 2. de purg. c. 8.* ad eundem provocat, itemque ad *lib. quendam de proprietarius apum, Hiſtoriamque de Doctore Pariſienſi in vita Brunonis commemoratam:* poſtquam præmiſerat, *non eſſe quod rideant ad talia Magdeburgenſes. Graviſſimo enim Autori Auguſt. l. prox. cit. impotentiæ*

nimiæ videri iſtorum negationem Delrio l. 2. D. M. q. 26. ſ. 1. ſeq. (ubi quidem de animabus defunctorum univerſim agit, quæ tamen etiam huc applicari queunt) *affert communem gentilium opinionem, Dei omnipotentiam, reique naturam, quæ non implicet contradictionem*, quoniam animæ & in loco ſint & movere ſe queant, & novam accipere a Deo qualitatem, quæ defectum (nequeunt enim alia a ſe ex vi propria movere ſine organis) ſuppleat: *affert utilitates aliquas*, quæ ſ. ad animas ipſas, ſive viventes inde pertingant: *affert teſtimonia rurſus gentilium*, (forſan quia huic argumento plurimum tribuit) *Aſtrologorum, Chaldæorum, Muhammedanorum, Cabbaliſtarum & Rabbinorum, Legum & Tribunalium.* Poſtremo *ad Eccleſiam delatus*, eandem omnibus ſeculis & ætatibus hoc firmiter tenuiſſe, *coactis in medium exemplis variis;* ſed ad noſtram tamen Andromachen vel minimum facientibus, contendit. *Thyræus* tandem (neque enim placet audire plures eandem apponentes cramben) ubi id cumprimis ex profeſſo agere debet, exempla arbitratur ſufficere *c. 3. l. de L. I. C. 51.* deinceps *52. 53.* notas *purgandorum Spirituum* conſtituit, *ſi appareant forma humana nihil peregrini aut horridi præ ſe ferente, loco ſacro & qui paulo poſt obitum pie defuncti cœperit infeſtus eſſe, ſi gemant ſine levitate aut impatientia humiliter, ſi orent ſine peccato ſubmiſſe, ſi conſtanter, humiliter & graviter obſequantur. Damnatorum vero, ſi forma ſit humana, ad deformis, gemitus levis atque impatiens, locus præcipue talis, qui poſt infideliam & in peccatis mortalibus obeuntium fata infeſtari ceperit.* Denique *vim adjurationum*, quam nec Diabolus ignoret, ſed adverſus Servatorem ipſum *Mar. V*, 7. efficaciter adhibeat, prolixe prædicat. Ne etiam *e ſacris literis* nihil omnino videatur attuliſſe, paſſim *Samuelem, Moſen, Eliam* viſos in memoriam revocat: *Hannæ* etiam aliquando verba laudat: *qui ducit ad inferos & reducit e 1. Sam. II, 6. V. l. de app. Sp. c. 12. §. 10.*

§. XXXII.

§. XXXII.

Apparet ex recenſitis, Papicolas *autoritatem divinam & hum.* obtendere, *ratione & experientia* pugnare. Excutiamus age ſingula, ſed paucis, quid valeant experturi. Demus, quem merentur, *litteris S.* locum, principem. In iis quando *Hanna*, meminit *inferorum*, quid per dictionem πολύσημον שאול &, quod cum eadem pæne quoad uſum in SS. retrocurrit, ᾅδην, intelligat, indagandum eſt. Notat enim aliquando *infernum:* & ſic h.l. accipit *Aug. l. 17. de C. D. c. 4.* ad Chriſtum applicans, & verba *Pſ. XVI, 10. non derelinques animam meam in inferno*, conferens: it. *Sophronius & Gloſſa Ord.* quæ deductionem ad inferos exponit Judæorum rejectionem; reductionem vero ab illis, converſionem gentilium. Aliquando *ſepulcrum*, & ſic h. l. interpretantur *Emanuel Sa, Tertull. Lyran. alii*, qui vel ad reſuſcitationem mortuorum, vel ad lethaliter decumbentium revocationem quaſi e via mortis, trahunt. Hanc acceptionem a *Bellarm. l. 4. de Chr. c. 11.* impugnatam & negatam prorſus, multis defendit in *Bezæ* reprehenſi gradiam, *Joh. Rainoldus Angelus. l. de Cenſura libb. Apocr. To. I. prælect. 80. & 81. tot.* Aliquando *auguſtias extremas, dolores ſummos, horrores inferni, ſtatum abjectum ac miſerum.* Atque ſic h. l. ſumi cum *Greg. Hugone Cardin. Trinio Sanctio & Theologis noſtris plerisque omnibus* aſſeveramus. Videtur enim omnino beneficiorum ſibi præſtitorum nomine celebrare loco iſto Deum fidelis fœmina, verbis tum propriis, tum figuratis, emphaticis maxime & ſignificantibus accommode uſa. Declaramus autem ulterius conferendo *Davidis voces Pſ. XXX, 4. Domine eduxiſti ab inferno animam meam.* An e. David ſpectrum fuit? aut τὸ reducere ab infernis ad mentem *Thyræi* illud infert? V. & *Pſ. LXXI, 20. IL. 16.* &c. Quid quod a plurimis Pontificiorum ſaltim ad purgatorium referatur iſtud

 comma,

comma, de inferno prorſus negetur, neque adeo heic ad totam controverſiam noſtram, ex æquo congruat. Cæterum, quantum ad *exempla Biblica*, omnia ea οὐδὲν πρὸς ἔπος. *De Samuele* peculiariter diſpiciemus poſt paulo. *Elias* ſecundum *Bellarm. l. de grat. primi hom. c. 14. §. 4.* adhuc mortali corpore Paradiſum terreſtrem incolit & adventum Anti-Chriſti interfecturi ipſum præſtolatur, quid igitur ipſe inter animas ſeparatas in alieno corpore videndas? Immo quid & ipſe & Moſes cum Chriſto glorioſe apparentes, ad indigetes inferni aut fictitii limbi purgatoriive Spiritus? Quænam hanc docet conſequentiam Logica, *e veritate unius apparitionis ad veritatem aliarum quarumcunque?* An quidquam aliud inde fluit, quam quod Deus, qui diſpenſare circa Beatos iſtos potuit, poſſit & de damnatis ita peculiariter conſtituere? At hoc in controverſiam vocatum non erat. Fallunt igitur elenchi ignoratione Sophiſtæ, qui eodem ludentes paralogiſmo, *imaginariam Oniæ & Jeremiæ viſionem*, adhuc e *libro Apocr.* occentant. Perinde fruſtram iidem ſunt, cum Eccleſiæ N. T. primigeniæ conſenſum *ex Math. XIV, 26. Luc. XXIV, 37. Act. XII, 15.* exſculpi poſſe argutantur. *Sunt quæ illudunt, phantasmata; quibus terremur, ſpectra; qui apparent humana ſpecie, Angeli: E. animæ quoque ex inferno, purgatorio, limbo αὐτοπροσώπως remeant nosque turbant.* Scopæ ſunt iſta diſſolutæ & ex arena funiculus. Et quis tam nullo eſt ſenſu aut judicio, quin intelligat?

§. XXXIII.

Ad *autoritates humanas* progredimur: quæ uti nunquam alias veritatibus Theologicis, ſtructuræ tam ſublimi, idoneum ſatis ſubſternuntur fundamentum: ita nec hic ſuſtinebunt onus. Ecquænam enim feceret hoc autoritas? An *Auguſtini?* cujus *librum de cura p. mort.* toties nobis quaſi Gorgonium objectant caput, toties ſibi quaſi Achillis clipeum aptant? At

v. is ibidem ne verbo quidem noſtræ meminit litis, ne verbo quidem purgatorii, limbi atque inferni. *Martyres ſ. nunquam omnino ſive in ſomnis ſeu alio quocunque modo viſos eſſe, id demum impudenter negari dicit c. 10.* Tribuit tamen & *hoc & ſqq. capp.* Angelicis operationibus Addit *c. 16. non ideo putandum eſſe, quolibet defunctos vivorum rebus intereſſe poſſe.* Immo profitetur tandem, *eſſe etiam illam de Matyribus ipſis quæſtionem altiorem & abſtruſiorem, quam ut ab ipſo attingi queat.* Videtis, cujus ille B. Præſul ſit, noſtras veſtras, viri Pontificii; An *Gregorii M?* Nonne veſtri ſunt *Durandus & Canus*, qui teſtem hunc negant infallibilem, qui labi eundem dicunt & cedere oneri? V. *Conf. cath. Gerh. l. 1. p. 584.* Nonne & ipſos *dialogorum libros* fide non ſatis certa Eipem aſſignari, vero ſimile ſit apud *Robertum Cocum in Cenſur. Scriptor. Vett. p. 290. ſq. V. inpr. B. Meiſn. de purg. c. 8. p. 729. ſq.* An *Thomæ?* Nempe illius *Thomæ*, a quo agminatim ſubinde ipſimet diſceditis. Adde: qui dubitanter loquitur: *credi etiam poteſt.* Immo qui per hypotheſes alias negocium omne infringit, de quibus §. 35. *An Gregorii Valentiani CERTUM EST* ſufficit? An ſine pudore nominari nobis *Pagani, Muhammedam & horum ſimiles* poſſunt, immo quod majus eſt, opponi *ſacris literis*, quas deinde afferemus? Taceant religioſo ſilentio ad hanc Philoſophi, ſubmittat faſces Curia, ſed quæ nec ipſa in archivis ſuis adverſa ſtatum nobis eſt, quandocunque etiam *oſtentorium*, φάσμα᾽ς ἢ τερατῶδες meminit, aut *Manes accire* vetat. Nutat igitur & iſtud fulcrum, immo concidit.

§. XXXIV.

Rationes, quas præterea coacervant, *aut a poſſibili* colligunt, *quia non involvat contradictionem*, a poſſe ad eſſe, ut loquimur in Scholis, inconſequente conſequentia, quam vel

pueri explodunt. Quid quod ſubſtrata hypotheſis, divina peculiaris diſpenſatio, ex qua omnem illam poſſibilitatem ſuſpendunt, nuſquam patefacta, ſed nuda principii petitio ſit. *Aut ab utili, quia poſſint inde viventes inſtrui de ſtata poſt mortem, aut terreri; purgandi meritis ſuperſtitum juvari damnari autem puniri gravius, dum innoteſcat hoc pacto ipſorum ignominia* Quaſi vero illud non præſtitiſſet, quantum opus fuit, Scriptura ſacra: iſtud inane Monachorum non eſſet commentum: hoc vero dies pancriticus, qui inſtat, non ſit præſtiturus. *Aut a pari, quia ut Angelini, ita hominum quoque damnati Spiritus apparere utique queant*, cum tamen ſit impar ratio utrorumque. Illi lictores DEI & carnifices declarantur in S. paginis, hi non item; ſed ſublati potius e terra vivorum inter circumforaneos in aere hoſtes & inſidiatores noſtros non connumerantur. *Aut ab adjunctis circumſtantiis & ſignis diagnoſticis*, at ſi pervideas attente, nullum ex omnibus eſt a quo abhorreat omnino, vel quod ſimulare ſaltem non poſſit verſipellis Sathanas, tortuoſus ille ſerpens. *Aut denique a teſtimonio phaſmatum illorum proprio per adjurationes extorto:* verum has inferius excutiemus. Non lubet nunc pluribus iſta convellere, uti nec examinandis *exemplis*, de quorum copia *IVto loco* fuſe narrant, renarrantq́ fabellas aniles & ridiculas, quas fingunt ipſi ac pingunt multifariam multam impendere operam, cum omnino ex hactenus dictis refellantur, pleraque ſeſe ipſa conficiant, ſi diligentius circumſtantias expendas. Conf. *Gerh. Conf. Cath. l. 1. Gen. p. 794. n. 10. Meiſn. de Purg. c. 8. p. 765. ſq. 790. ſq.* Obſigno has reſponſiones verbis *Aug.* quæ habet *de unit. Eccl. c. 16. non dicant, ideo verum eſt, quia ille vel illa tale viſum vel vigilans vidit vel dormiens ſomniavit. Removeantur iſta vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium Spirituum Deviſis fallacibus legant, quia Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Audiant, quæ*

pagani

pagani narrant de Diis ſuis, mirabiliter vel facta vel viſa, & tamen Dii gentium dæmonia.

§. XXXV.

Reſtat ut breviter noſtræ negationis promamus argumenta. Nimirum opponimus Adverſariis (1. *Scripturæ ſilentium ex §. 32. manifeſtum.* Cum autem illa omne alias DEI conſilium nobis exponeret, cum docendo, redarguendo, corrigendo, erudiendo, conſolando hominem Dei ad omne opus bonum ſufficientiſſime inſtrueret putasne eam iſtud fuiſſe prætermiſſuram, quod cum maxime ad fidem confirmadam, vitamque & actiones noſtras gubernandas faceret? Taceretne modos agenti cum remeantibus defunctorum animabus, quæ quid decadaveribus eorum derelictis conſtituendum ſit, ſollicite pasſim ediſſereret? Cum ſtudia, quæ viris debemus, ſuis circumſcriberet limitibus, ſuffragiane quæ mortuis expetentibus præſtare teneremur, præteriret? Sed quomodo tandem apparitiones purgandarum animarum commemoraret, quæ ipſius purgatorii ac limbi nusquam meminit, ut ipſorummet Pontificorum nonnulli vi veritatis eo adacti, ingenue aliquando profitentur. Quomodo ex inferno reduces nominaret Spiritus, quæ *hos in illo tanq. in ἀδιαβλήτω βάθι, ἀδιαπεϱάτῳ ἄδῃ concluſos, & ab aliorum extra carceres illos commercio per χασμα μέγα ἐστηϱιγμένον diſtinctos* deſcribit *Luc. XVI. 26.* Quare non ἄγϱαφον duntaxat, ſed & ἀντίγραφον deprehendimus illud Papæorum placitum, atque eidem proinde (2. opponimus *Scripturæ S. repugnantiam.* Contradicit enim illa multis modis. *In genere:* ut quando *loco prox. all.* demonſtrat, nolle DEUM ſtudia viventium viſibili defunctorum apparitione regi: quando *Deut. XIIX, 11. Eſa. IIX, 19.* ne quis mortuos conſulat, ſerio vetat: quando de defunctis, *non habent partem*, ait, *in hoc ſeculo & in opere quod ſub ſole geritur Eccleſ. IX. 6.* quando eosdem negat *laudare Dominum*

num & annunciare veritatem ejus, ſubaudi inter viventes, cum emendatione eorum & ſalute, *Pſ. VI, 6. XXX, 10. CXV. 17. Sir. XVII, 25. &c.* quando *de iis*, *quos ob debita Judex Miniſtro tradidit*, *quod e cuſtodia, donec extremum quadrantem perſolverint*, hoc eſt nunquam, *exeant*, *pronunciat Matth. V. 26. In ſpecie regreſſui animarum e purgatorio aut infantum limbo* contradicit; quando non niſi duo ceu viventium genera, ſic mortuorum receptacula paſſim conſtituit, *pro fidelibus Cœlum*, *infernum pro incredulis V. Mat. VII, 13. 17. ſq. XIII, 24. ſq. III, 12. XXV, 46. 1. Sam. XXV, 29. &c.* quando et infantulum incircumciſum Davidis non in limbo damnatum ac oſtentandum ſubindo relicto; ſed in Cœlo beatum innuit, ubi reddendus, olim ſit pio Parenti, ſecuturo illum præmiſſum, quo Deus ordine juſſerit, *2. Sam. XII*, 23. quando purgatorio Patris miſericordiam, Filii meritum, veritatem Evangelii, fructum ac tempus pœnitentiæ, ſimiliaque opponit, quæ *a Gerb. θεολογωτάτω Conf. c. l. 2. par. 2. p. 423. ſq. aliisque* magno numero producuntur. Opponimus (3. *Rationum momenta: Tum ab impoſſibili, non quidem ſimpliciter, ſed ſecundum quid tali;* ſuppoſito, DeumSpiritibus illis inferis nullo ſuperaddito qualitatis ac potentiæ novæ privilegio gratificari, id quod ab Adverſaris confictum quidem, confectum autem ſolideque probatum nondum eſt. *Unde conſtat de ſpeciali privilegio*, quærimus verbis *Delr. l. 2. q. 28. ſ. 2. p.* 722. Hoc, inquam, præ ſuppoſito colligentes: *non poſſunt animæ illa ſtrepitus & voces aliasque organicas operationes ſine corporibus propriis eſſentialiter ſibi unitis edere: E infeſtetiones iſta lorum ipſis tribuenda ſunt. Tum a non neceſſario:* cum ſatis ſuperque a Diabolis iſta fieri poterant, quorſum erat opus vices eas inter plures patiri Spirituum claſſes? Cum *Moſes & Prophetæ* de cavendo poſt vitam hanc infelici ſtatu moneant ſatis, novi ex inferis præcones non erant neceſſe. *Tum a noxio.* Lata enim alias pateret Sathanæ porta, ſub iſto animarum habitu

nos

nos fallendi. *Proinde* (exprimam verbis *Chryſoſt. hom. 4. de Laz.*) *DEUS. Diabolo præcluſit viam ad has inſidias, nobisque parcens, non permiſit, ut quisquam unquam illinc huc reverſus, de iis quæ ibi ſunt, narret viventibus hominibus, docens nos, ut Scripturis potius credendum exiſtimemus, quam cæteris omnibus.* Opponimus 4) *Patrum* ὁμοψηφίαν *Auguſtini & Chryſ.* voces jam audivimus. Similia a *Tertul. l. de anim. c. 9. Athanaſ. aut potius Aut. qq. ap. eundem, q. 11. & 13. ad Antioch. Iſidor. l. 8. Etymol. c. 9. Theophyl. in c. 8. Matth. aliisque* dici, ipſi confitentur quandoque Pontificii. V. *Maldon. in c. 16. Luc. v. 29. Salm. diſp. 25. in 1. Joh. 4. Mendoz q. 5. Scholaſt. p. 392.* Opponimus denique (5. *diſſenſum ac fluctuationem Romanenſium. Venire ad vivos ex mortuis aliquos, multi male credunt, quia phantasmata ſunt*, ait *ad cauſ. 13. q. 2. c. fatendum eſt 29. Gloſſator*, ob cujus autoritatem in editione Gregoriana verba illa retinentur, etſi in *Aug. l. d. cur. pro mort. c. 15.* paulo aliter legantur. *Hier. Magius l. 4. Miſc. c. 12. Tiraquel. ad Alex. ab Alex. l. 2. c. 9. & l. 5. c. 23.* mera Sathanæ ludibria, mera ſomnia iſtas animarum remeationes arbitrantur *Becan. Manual. l. 1. c. 8. ſub fin.* hypotheſin geminam *Thomæ ex 1. q. 50. ar. 1. & q. 110. ar. 3. ad 3. it. q. 117. art. 4. ad 2.* conferens, dubius inter ſacrum & ſaxum hærens, liberum tandem relinquit Lectori arbitrium. *Delr. D. M. l. 2. qu. 26. ſ. 3. §. Metum nobis ſub fin.* de damnatorum apparitionibus omnino dubitat. De animabus e limbo infantum redire viſis nihil audet *Bellarm.* addere, cum reliqua genera exponeret. *l. 2. de purg. c. 8.* Ipſe etiam *Thyr. de L. I. c. 4. §. 11.* teſtatur, *Teſtatum in c. 25. Matth. q. 759.* tenere quoad hoc animarum genus contrarium. *Hæc ad Qu. primam.*

§. XXXVI.

Quæſtionis ſecundæ de Samuele prius aſſerunt communiter Pontificii, nos poſterius. Ex illorum parte eciem in-

 ſtruit

ſtruit atque expedit arma *Bellar. l. 4. de Chr. c. 11. & l. 2. de pur. c. 6. Delr. D. M. l. 2. q. 6. & 26. ſ. 4. Bodin. l. 2. dæmonom c. 3.* Occurrunt ex adverſo inſtructi vario milite *Gerh. T. 8. L. de Mor. §. 174. ſq. Conf. Cath. l. 1. p. 2. c. 17. p. 789. ſq. Meiſn. Opuſc. 2. de Purg. c. 8. p. m. 722. ſq. Wier. de præſtig. dæm. l. 2. c. 9. p. 165. ſq.* fuſiſſime vero omnium *Joh. Rainoldus Cenſur. prælect. 75. usque ad 93.* Nos cum prætervehi iſta omnia tacitis non liceat, quoniam multum argumento noſtro locis conferunt, breviter ac in tabella quaſi depugnati ejus belli ſummariam ſiſtemus delineationem Nimirum urgent illi 1. *nomen*, quod *Samuel* dicitur, is qui ſuſcitatur, 2. *verbum intellexit*, quod de Saule h. l. prædicatur, 3. *figuram apparentis*, quoniam injurioſum ſancto DEI Prophetæ fit, ſi Diabolus perſona ejusdem fuiſſet indutus, 4. *nomen DEI ἀνεκφώνητον a phantaſmate illo uſurpatum* quod a Dæmone fieri nequeat, 5. *naturam reſponſionis reprehenſoriam*, cum Diabolus Saulem impie agentem potius fuiſſet collaudaturus, 6. *veram futurorum contingentiam prænunciationem*, Cacodæmoni alias negatam, 7. *Siracidis locum* celebrem c. XLVI, 23. 8. *Autoritatem denique interpretum Joſephi, Juſtini, Baſilii, Ambroſii, Hieronymi & Auguſtini.*

§. XXXVII.

Reponimus nos ad I. Non omnis denominatio κατ᾽ ἀλήθειαν eſt; ſed multa etiam κατὰ δόξαν. Non ſunt omnia quæ dicuntur vero, ſed plurima tantum apparenter talia. conf. *Gen. XIIX, 2. XXXI, 30. Jer. XXIIX, 1. Luc. II, 48. 2. Cor. IV, 4. &c.* Sic, quod huc imprimis facit, *Deut. XIIX, 11. mortui* dicuntur, qui Necromantarum ſtudio apparent illorum ſpecie dæmones. *Si igitur liquido conſtat nominibus earum rerum, quarum imagines ſunt, easdem imagines appellari, non mirum eſt,*

eſt, quod Scriptura dicit, Samuelem viſum etiamſi forte imago Samuelis viſa apparuit, machinamento ejus, qui transfigurat ſe velut in Angelum lucis & Miniſtros ſuos velut miniſtros juſtitiæ: Verba ſunt *Aug. l. 2. q. 3. ad Simplic.* quem tamen ſuum volunt in hac cauſa Adverſarii, quorum adeo primum hoc argumentum ex puris particularibus procedere diſpaleſcit. Nos vero quod in præſens metonymia illa adjuncti inveniat locum, & ex opinione ſpectantium procedat nomenclatio §. *39. & ſeq.* elucidabimus. Ad H. Gratis rurſus aſſumitur, nunquam de opinatione vana vel conjectatione fallibili verbum *intelligendi, cognoſcendi, ſciendi in Scripturis S.* ſumi. Contrarium poteſt ex *Matth. XXV, 24. 26. Joh. VII, 28.* (conf. *Oſiand. h. l. & Gloſſ. Philol. S. l. p. 283.*) *aliisque locis* facile oſtendi. Sic ab Ebræa dictione ירע quæ in loco noſtro habetur, derivatum ירעוני *pythonem, præſtigiatorem, ſciolum* deſignat, qui non tam novit, quam ſimulat aut putat ſe noſſe plurima. Sed in rem penitremus ipſam. Non pendet rei veritas, de qua diſceptatur inter nos, a cognitione hominum, ſed hujus cognitionis veritas potius menſuratur ex convenientia ad rem ipſam, ſi ea prout eſt, ab intellectu eſſe concipiatur. Jam Saul, mentis turbatæ ac reprobæ Rex, conceptum talem habuiſſe heic, nunquam demonſtrabitur. Planum potius eſt, quod æſtimarit rem ex figura & habitu ext. ut apparuit, ut eſſe viſa eſt, nec ſuis quidem, ſed alienis pythoniſſæ oculis, quibus illudere Sathanam & poſſe & ſolere, notiſſimum eſt. Vides & hujus argumenti vim evanidam, qualem dudum declaravit eodem fere modo *Autor libri qq. ex V. & N. T. q. 27.* Sed ridiculas ejut rationes h. l. nuncupant *Lovanienſes in Cenſ. iſtius loci To. 4. Aug.* cum tamen dignæ habitæ ab ipſis Pontificibus R. fuerint, quæ verbotenus *in Decretis* legerentur, *26. q. 5. c. nec mirum l. 4.* Immo cum *Bellarm.* alias, quando pro Pontificis

au-

auctoritate ex libro illo pugnat, *Autorem ejus XXIV. Patribus, quos comparat ſenioribus Apocalypticis, aſſociet. l. 1. de P. R. c. 25.* Unde merito queritur *Rainold. l. d. præl. 87: iſti homines utuntur Patribus & eorum firmamentis, ut Solon apud Laertium uti conſveviſſe dicitur amicis ſuis, eos nim. habuiſſe loco calculorum, quibus ratiocinatores utuntur in ſupputandis rationibus ſuis, ad ſignificandam aliquando ſummam majorem, aliquando mille pondo, aliquando unum ſeſtertium. Sed hæc* ὡς ἐν παρόδῳ.

§. XXXVIII.

In viam redimus atque ad III. Reſp. Vanus iſte metus eſt, ne quid per Sathanæ illum metaſchematiſmum decedat glorioſæ Samuelis dignitati, niſi idem etiam Angelis lucis vel DEO ipſi ac Chriſto ejus metuas, quando in eorum quoque ſe transformat habitum ille ἀλλοιοσχήμων. Sed bene ſe res habet; nec ignominia in illos hinc redundat, nec ſi ex hac definienda inpræſens lis eſt, Pontificiorum prævalitura eſt ſententia. Si enim ipſe Samuel viſus eſſet ſive Diabolis artibus evocatus, ſ. divino conſilio miſſus, contumelia foret & in Deum magna, qui confirmaſſet adeo pythonicæ mulieris improbitatem, & in Samuelem, in cujus animam Cacodæmoni quoddam imperium tribueretur. Ad IV. Veluti ſuperſtitionem redolet hoc Judaicam, de qua *V. D. Dorſch. diſſ. de nom.* יי *§. 11. Amama Antibarb. Bibl. par. 1. l. 2. diſſ. pecul. n. 22. ſq. p. 482. ſq.* ita veritatis, experientiæ ac literarum S. teſtimonio prorſus caret. Qui enim non ſuſtineret pronunciare nomen illud τετραγράμματον, qui hujus & aliorum divinorum nominum exſecrandos abuſus ſua ipſe docet mancipia? Nonne ipſe *Achabum per os mendax Pſeudoprophetarum ipſo illo nomine* יי *fefellit? V. 1. Reg. XXII, 6. 11. 22.*

Nonne

Nonne ita & glorioſiſſimum nomen JESU, quod revereri alias cum tremore cogitur, *Phil. II, 10.* ſubſtinuit tamen & adhibuit *Actor. XIX, 5.* Fide nim non nomine pellitur. Sed ad V. Decebant h. l. Veteratorem iſti colores & agenda erat, quam ſuſceperat, perſona, ne fraus pateſceret. Proinde factum ipſum a fine facti diſcernendum eſt, alias neque ea mendaces Spiritus pro locutos fuiſſe veroſimile erit, quæ tamen *Mar. I, 24. Act. XVI, 17. aliisque in ll.* locuti perhibentur. Ad VI. Qua ratione poſſint ac ſoleant præſcire & prædicere futura Cacodæmones, addidiciſſe debebant οἱ ἐξ ἐναντίας e. c. *ſeciendum eſt 2. cauſ. 26. q. 3.* ubi ex *Aug. l. de divinat. dæm. c. 3.* multa in hanc rem tranſcribuntur. Paterant etiam ad experientiam remitti & ex oraculorum monumentis convinci. Sed facile cognitu h. l. eſt, quod iſta prædixerit ſpectrum, illud *non tam ex certitudine ſcientiæ, quam ex ſagacitate conjecturæ*, æſtimans ſecum collatis Prophetarum vaticiniis non ignotis ſibi, animum, vires, cauſam utriusque aciei. Neque τὸ CRAS omnem nudæ conjectationis ſuperat conditionem, quippe quod non præciſe ſemper proximum diem, ſed & quodvis tempus futurum indeterminate in Scripturis ſignificat, unde λοξίας ille Vates conſulto ejus ambiguitate uſus h. l. videtur *Rainoldo*, qui de hoc vocabulo plura habet *præl. 91. & 92.* Ad VII. Uno verbo, *Siracides* de phantaſtico Samuele tanque de vero loquens, Autoritate ſua nos non movet. Non enim avthenticam eſſe eam, dudum a Noſtris probatum eſt. Denique ad VIII. Patribus Patres paulo poſt opponemus, interea h. l. obſervamus (1. *Saulum inter Prophetas*, ſive *Joſephum* Scriptorum Judaicum inter ſancta Eccleſiæ lumina, principe poſitum loco (2. *Cum eodem Juſtinum M.* tribuere illud Diabolicis artibus, quibus tamen nihil in B. Manes poteſtatis: neque, hi omnino Pontificiis aſſentiuntur. (3. *Ambroſium* rem nudam Scripturæ verbis commemo-

memorare. (4. *Baſilium*, *Hier. Auguſt.* locis diverſis in hoc negocio noſtros eſſe: De illo *Delr. l. 1.* de iſto *Gloſſa Ord. Lugdunenſis*, De hoc *Brugenſis*, *Leloyherius aliique* concedunt. Imprimis de *Auguſtino* res manifeſta eſt. Si enim *Eucheurius* noſter eſt, quod largiuntur *Bellar. & Delr.* cur non & *Auguſtinus*, cujus unius verba ille adhibet? Ad hæc loca in ipſo *Aug.* perſpicua ſunt, *l. 2, de doctr. Chr. c. 23. l. 2. ad Simplic. q. 3. & qq. ad Dulcit. 6.* qui liber poſtremus cum poſt illum *de cura pro mort. ad Notanum* (ad quem Pontificii tanquam ad ſacram auchorum confugiunt) a B. Præſule ſcriptus ſit, ut *e q. 2.* conſtat, mirari non ſatis poſſum impudentiam Jeſuitarum incredibilem, quæ iſti loco *in editione Lugd. A. 1586.* aliquot periodos, quæ corrigunt ſuperiora, audaciſſimis manibus aſſuit, *eque l. dicto de cur. p. m. c. 15.* paucis mutatis tranſſumit. Sane per *Frobenium* præſtita *Baſileenſis editto* A. 69. nihil iſtius aſſumenti agnoſcit, ipſique *Lovanienſes in Cenſ. Aug. To. 4. ſub. fin. ad l. all.* hoc diſſimulare omnino nequeunt, etſi per additum *fortaſſe* excuſare nitantur. Adeo non erubeſcunt etiam addere, quod placet, qui demere expungereve, quod lubet, non verentur. Nempe ne cui ſancto labori parcant, ſic enim *Gretſerus l. de jure prob. lib. hær. 2. c. 10.* illam Patrum lancinationem appellat; verius, ne quod falſi cirmen intermittant. Hæc hactenus contra Pontif. fundamenta.

§. XXXIX.

Noſtra nunc ſuccincte ſubjicimus argumenta, admiſtis ſtatim; unaque & eadem opera profligatis Adverſariorum Exceptionibus. *Primum ex divino præmonitione & v. 6.* ducimus, h. m. colligentes: *N. Propheta Sauli in iſta calamitate divino nomine reſpondit. Samuel eſt Propheta. E. Samuel non eſt is, per quem Dominus Sauli reſpondit.* Major dicto verſu continetur.

Minor

Minor habetur *Act. III. 24.* Stat erdo immota his tibicinibus concluſio. Excipit quidem *Bellarm. non reſpondiſſe Dominum Sauli per Prophetam cum interrogaretur, reſpondiſſe autem dehinc cum non interrogaretur, & res quoque integra amplius, aut clades declinabilis non eſſet, quorum utrumque indignabundi animi ſit indicium.* Aſt præſupponit h. m. quod eſt in quæſtione, immo ponit, quod negat Scriptura: Deum reſpondiſſe: apponit etiam, quæ non omnino indubia. Prælium enim Saul, ſi mens non læva fuiſſet, adhuc amoliri potuiſſe videtur, ad quod nulla fatali ac inevitabili neceſſitate adigebantur. Conf. quæ interferuntur *c. XXIX. v. 1. & 11. IIdum ex apparitionis procuratione* trahimus inferentes: *Samuel Magicis artibus exciri non potuit. Is qui apparet Sauli, Magicis artibus excitur E. non eſt Samuel.* Major ab ipſimet Antagoniſtis pasſim dadur. Minor confirmatur *e v. 11. 12. 15. 21.* ubi Saul Acherunta moturus cum flectere ſuperos non poſſet, Spiritus pythonici auxilio avocatum vult Samuelem: pythoniſſa audiſſe ſermones ejus, h. e. feciſſe, quod cuperat, gloriatur: umbra quoque ipſa adſcendes ſe ſuſcitatam non ſine inequietatione profitetur. Quod iſtis dari aut deſiderari clarius poteſt? Agnoſcunt *Interpp. plerique Chaldæus, ipſi V. teſtes Bellarminiani, Juſtin. Joſ. Baſil. Hier. Aug.* Negunt tamen Minorem iſtam Pontificii, ac *Bellar.* quidem rationem addit geminam, *ex v. 12. & perturbatione mulieris, quam nempe tum præpoſterus Animæ aſcenſus, capite ſurſum, deorſum verſis pedibus: tum adventus ejus d. ante abſolutas incantationis formulas prævelox, operatus ſit. Cajetanus vero v. 15. ſuſcitationem occaſionaliter tantum Saul, non efficaciter aſſignari* annotat. Sed maneat *hujus* interpretamentum ſuo tantisper loco; cui ergo debet Saul occaſionem ſuſcitandi Manesſillos, Deone an Pythonyſſæ? Nos poſterius in præcedentibus legitimus: prius Romanenſes ingerunt quidem, ſed

ſolidis

ſolidis antequam ſtabiliant rationibus, nondum perſvadent. *Illius* autem utrumque κρησφύγετον præter, immo contra Scripturæ literam fingitur, cum ea Sagæ conſternationem ab agnitione Saulis hactenus in tenebris minus cogniti, manifeſto ſuſpendat. Abeat ergo cum Rabbinicis ſuis commentis *Cardinalis*, quæ pluribus ad Sciomantiæ hiſtorias *Rainold. præl. 76. ſq.* expendit, qui videri poteſt. Nos ad *III. Argumentum properamus*, quod *ex veri Samuelis conditione* tale eſt: *Si neque Samuelis anima, neque corpus, neque utrumque apparere h. l. potuit, nec Samuel verus ipſe apparuit. At verum eſt prius. Quod* Probatur h. m. *Anima Beati Vatis* e ſtatu alterius vitæ per diabolicas artes revocari poſtliminio non potuit: ſi potuiſſet etiam quomodo videretur ἀσώματος? quomodo ſenilem præ ſe ferret vultum ἀγήραος? quomodo adſcenderet cœlorum indigena? quomodo pallium ſibi circumfunderet, aut externa & articulata voce loqueretur ἀνόργανος? Fruſtra oggeres *elementare aliquod corpus, ſchema angelicum.* Id n. fingere eſt, non diſputare, conf. quæ diximus §. *34. & 35. Corpus* porro non fuit, jam tabidum: biennium m. aut ad minimum XVI. menſes erant, ex quo conditum fuerat: ut taceam, quod hoc ſine anima præſtare illa non potuerit; ſed quid opus tibiis h. l. longis? Ipſi præter *Brugenſem* Adverſarii negant fuiſſe corpus Samuelis, negant fuiſſe totum Samuelem, quia divino miraculo alias in gratiam impiisſimi Regis, in Magiæ Diabolica confirmationem, denuo moriturus reſurrexiſſet, id quod omnino ἄτοπον.

§. XL.

Sed *ex Apparentis quoque ſ. perſonati Samuelis conſideratione* IVtum nunc, idque tergeminum ducemus argumentum. *1. Namque conſortium ejusdem ſuſpectum eſt. Vidi Deos adſcendentes e terra*, ait Venefica *v. 13.* quinam illi Elohim? niſi dæmones

mones prælusores, imagines præſtigiatoriæ & divinatoriæ: ecquis igitur inter hos Deos Samuel? Excipit *Bellarm. Plurale illud dignitatis nomen pro ſingulari, Judice ac Principe nimirum poni:* annuit, atque argumentum hoc mittit *Rainoldus præl. 79.* Nobis tam liberalibus eſſe hic non placet: nam idem illud *Socinanorum* poſtulatum eſt, quos contra, eundem h. l. noſtrum vindicat *Exc. Dn. D. Calov. diſp. Ordin. prim. heic. anno. 51. habita de plur. Perſ. div. e. V. T. ſtabilita* §. *62. p. 45. ſq.* quo verborum plurium faſturi compendium, Lectorem noſtrum remittimus. 2. *Mendacium*, quo ſermonem orditur, Patrem mendaciorum inſigniter prodit. *Quare inquietaſti me* ait הרגזתני, *commoviviſti, trepidare feciſti, turbaſti v. 15.* Exſtans hæc falſitas eſt, quocunque etiam ſe vertant ἀντίμαχοι. Si miſſus a Deo fuiſſet Samuel; mittuntur etiam Angeli boni ſine quietis ruptura. Quid ergo ἰσάγγελος ille turbaretur & murmuraret? Nonne voluntatem Patris, in cœlo ſunt, ſine reniſu faciunt? Aut quomodo hæc cum *Eſa. XXXII, 18. LVII, 2. Sap. III, 1. 2. Luc. XVI, 26. Apoc. XIV, 3.* concordant? Res evidentiſſima eſt, nec verbo amplius opus. Igitur ad reliqua tranſilimus. 3. namque *ambigue & fallaciter finit colloquium*, poſtquam mendaciis vera miſcuit, ut horum delinimento illa commendaret. *Cras*, inquit, *tu & filii tui mecum eritis.* Quomodo τὸ *CRAS* λογὸν ſit, §. *38. n. 6.* dictum eſt: nunc & illa impii Patris cum melioribus Natis ſubdola conjunctio penſi habenda, & τὸ *mecum eritis*, inprimis excutiendum. *Aug.* quidem, quando Academice de hac apparitione diſputat *ad Simplic. l. d. veriſimile eſt*, ſcribit, *iis verbis ſignificari non æqualitatem felicitatis, ſed conditionem mortalitatis. Mecum* i. e. *mortui eritis*, ait *Bellar.* Verum enimvero Ebræum עם varie quidem exponi ſolet, ut obſ. *Glaſſ. Phil. S. l. 3. tr. 6. can. 6.* Ubi autem tantundem valeat, quantum illi contendunt, nondum video. Si ſubaudias, quod placet, quidni & idem eſt: *mecum* i. e. *beati eri-*

tis, i. e. in limbo eritis. Quæſo te, an Lazarus ad Epulonem dicere poſſit: *mecum es?* An verus Samuel Sauli *mecum es* dixerit, quoad corpus? an quoad animam? Aliud concipies ex *1. Sam. XXXI, v. ult.* Sane Scriptura piorum & impiorum animas non in uno eodemque comitatu conjunctas, ſed ut diſſitiſſimas amat deſcribere, ac nos hinc collectis iis, quæ hac §. dicta ſunt, merito argumentamur: *Q. in conſortio Dæmonum adſcendit e terra, mentitur & fallit, is non eſt anima beata Samuelis. Atqui Phantasma illud ita ſe habet, E.*

§. XLIV.

Vto *Saulem* quoque reſpiciunt alii, *exque ejus partim adoratione, partim pœna* novas quærunt probationes, quoniam *illa v. 14.* commemorata & a ſpectro admiſſa, nunquam fuiſſet a vero Samuele tolerata, ſi vel civilis ſaltem fuiſſet, *conf. 1. Reg. I, 23. Actor. X, 26.* quin *Rabbini ipſi in Midras* propterea præpoſterum capite erecto adſcenſum comminiſcuntur, ut Regi honor haberetur: *hæc 1. Pet. X, 13.* inſinuantur, quod nempe ob hoc quoque factum interfecerit Saulem Dominus, qui id facturus fuiſſe non videtur, ſi incantationes præveniens, Samuelem tanquam pœnitentiæ præconem (ut *Delr. q. 26. l. c.* contra quam alii ſentiunt aurumat) delegaſſet. Sed ſuperius allata argumenta rem jam ſatis ſuperque conficere poſſunt. Pauci addimus VI. Teſtimonia Interpretum, quos magno numero *B. Gerb. Leloyber. & Rainoldus ll. cc.* e Patribus, Scholaſticis, Pontif. producunt, *Autorem qq. ap. Juſtin. Tertull. Baſil. Gregor. utrumque Nyſſenum & Naz. Hieron. Philaſtr. Chryſoſt. Auguſt. & ap. eund. Aut. l. de mirab. Script. & l. qq. e V. & N. T. Cyrillum Alex. Procop. Eucher. Iſidor. Theodoret. Anaſtaſ. Bedam, Rupert. Anshelm. Raban. Strab. Angelomum, Zonaram, Eliam Cretenſ. Hildegardum, Sarisber. Burcardum Wormat. Ivonem Carnut. Gratian.*

Job.

Joh. Semecam. Gloſſatorem Decret. Thomam, Gerſon. Paulum Burgenſ. Antonium Florent. Joh. de Turrecr. Caſſaneum, Joh. Benedictum, Langium, Feliſium. Rainerium, Ruizium, Corn. Janſſen. Prateol. &c. ut taceam e Calvinianis *Muſculum, Bulling. Aretium &c.* e noſtris plerosque omnes *Luth. Philippum, Peucer. Brent. Pomeran. Menium, Hier. Weller. Chytr. Wigand. Oſiandr. &c.* e Rabbinis *Kimchium & Aben Eſram.* Adeo qui veritati concedant & noſtris faveant partibus non deſiderantur. Obſignamus & hanc controverſiam de cauſæ bonitate certi, *Bellarminum* uno adhuc alterove verbulo notantes, qui, quando Patres in hac controverſia Patribus opponit, eos qui ſtant a noſtris partibus incertos, & obſcuriores, & poſthabendos eſſe ſuarum partium Patronis, certis omnibus & clariſſimis, contendit. Judicabis tu, *L. Æ.* qua id pronunciarit fronte Cardinalis effrons, cujus vice purpura, ut erubeſcat, habet. Sat certo ſat celebres enarravimus Viros, quamvis nec incertorum & obſcuriorum rejicuſa ſtatim ſint teſtimonia. Nullum quippe fama eſt veritatis argumentum.

§. XLII.

Reſtat *tertia quæſtio*, quam nos aſſeveramus freti rationibus non exiguis. Ante tamen, quam eas bilanci æquæ appendendas expromamus, breviter præmonemus, *non negare nos, tum in V. T.* cum πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως cum Patribus loqueretur Dominus, deque inſtauranda per Filium gente noſtra, placita ſua confirmaret, *adhibitos quandoque Angelos fuiſſe; tum ſub initia N. T. apparitionibus etiam ac viſionibus confirmatam aliquando cœleſtem doctrinam eſſe:* ſed poſtquam jam, quæ tot ſeculis ante, ſanctis expectarunt deſideriis Angeli, præſtita, & firmatæ res Religionis ſunt, quod crepent tamen, ubi dogmatum reddenda ratio, defendenda cultus forma, paranda Eccle-

ſiæ veritatis ſpecies eſt, Pontificii viſos paſſim in delubris Angelos, miſſos in cœnobis cœlites, quod erumpens in montania ac vallibus, ad littora, in aquis, e ſpeluncis, juxta tumulos & hinc inde alibi quodcunque lumen pro cœleſti mente venerentur; quod perſonatorum Angelorum innumeras cohortes & commentitias viſiones alias in ſequioris ævi nugacibus Hiſtoriæ Eccl. conditoribus, cumprimis in Legendis Sanctorum variis commemoratas commendent ac tueantur, prorſusque ad eo, quod dicitur, *cœlum terræ miſceant;* id vero eſt, quod notamus in præſens in ipſis ac reprehendimus. 1. enim atque ante omnia *deſideramus hic promiſſionem div.* cujus revelatione tuto niti queamus. Nullibi pollicitus nobis in ætate ultima viventibus Dominus eſt Doctores Angelos, ac cœlites cultus Reformatores; ſed ex hominibus Hierarchiam noſtram Eccleſiaſticam conſtituit V. *1. Cor. XII, 28. ſq. Eph. IV, 11. ſq.* Deprehendimus 2. *Scripturam contrariam*, quippe quæ vetat *audire mortuos*, *V. §. 35.* quæ *loquentibus* per libros ſuos *Moſe ac Prophetis*, *miſſionem cœleſtium præconum ſupervacuam pronunciat. Luc. XVI, 31.* quæ *Angelis novum Evangelium afferentibus anathema dicit Gal. I, 8. 9.* quæ *Apoſtatas in noviſſimis temporibus prædicit adhæſuros Spiritibus impoſtoribus & doctrinis dæmoniorum 1. Tim. IV, 1.* quæ monet, *ne quis ſeduci ſe patiatur in humilitate & religione Angelorum Col. II, 18.* quem locum quomodo ad venerationem Angelorum præpoſteram & informationem ab ipſis non expetendam Patres accommodent, oſtendet Tibi, ſi conſules, *Balduin. Caſ. 2. & 3. l. 3. c. 1.* Adde, quod *Articuli de invocatione Angelorum*, *de Dedicationibus templorum & feſtorum*, *de cultu reliquiarum & ſuperſtitioſi ſimiles alii* per apparitiones illas confirmentur: cum autem illi Scripturis contrarii ſint, contrarias & has eſſe conſequitur. Opponimus 3. *præſens periculum*, ob pronam in iſto genere, Sathanæque apertam

tam deceptionis viam (2. *Cor. XI, 14.*) quod eloquuntur & exaggerant rurſus priſci Eccleſiæ Doctores *Chryſ. Tertull. Athanaſ. Aug.* quæ transſcripta apud *Chemnitium Exa. par. 3. de Purg. p. m. 563. & B. Meiſn. Opuſc. cit. c. 8. p. 671. ſq.* legere licet. Addimus 4. *pleraſque apparitiones illas per circumſtantias* falſas, pugnantes, ridiculas, modosque abſonos & indecoros cuivis prudenti facile *ſe prodere.* Specimen examinis hujus inſigne edidit *Celeb. Dn. D. Dorſch. Sept. Aug. diſſ.* 7. ſpurias aliquot Michaelis excutiens apparitiones. Animarum plurimas diſplodit *B. Meisn. l. c. pag. 756. 765. ſq.* Sic *Amadæum* Angelus manifeſte falſa plurima docuit: *Corn. a L. ap. Dorſch. pentad. diſſ. 14. §. 516. & Septen. Aug. diſſ. 5. p. 385.* ſed non eſt nobis, ad ſpecialia hujusmodi deſcendere, modo integrum. Intendimus ſaltem 5. digitum, atque ad luſtrandum *Papicolarum diſſenſum*, legendasque quorundam nobis heic faventium confeſſiones ad *B. Meisn. l. de p. 761. ſq. & B. Gerh. Conf. c. l. 1. Gen. par. 2. c. 16. & 17. p. 764. ſq. 782. ſq.* Lectorem remittimus, ea, quæ Adverſarii heic regerunt, conflictui reſervantes. Sequitur ergo.

CAPUT IV.

Practicum & Caſuale.

§. XLIII.

Quid agendum Chriſtiano homini ſit, cum Sathan ipſi aut viſibili apparet ſpecie, aut habitacula turbat, aut moleſtus gemina ratione eſt, nunc ſubjicere fert animus, ſimulque ſtatim Pontificiorum cum ſpectris agendi modum perverſum ac improbum conferre & diſplodere. Initio præcepturis nobis de iſthoc genere, *in facienda & fugienda* omnis monitorum,

quæ afferemus, tribuendus eſt apparatus. *Quantum ad illa*, meminiſſe convenit *ex antecedd.* cum inſultante inimico negotium hoc nobis eſſe. Quare adverſus eundem animandi rite atque armandi ſumus. Modum nos genuinum *D. Paulo* nemo alter edocebit rectius, qui *non aerem præpoſtere verberavit Andabatarum more pugnans; ſed cum ipſo Sathanæ Angelo luctatus Domino infirmitatem ejus ſublevante, bonum certamen certavit, ac immarceſſibilis coronæ decus immortale reportavit.* conf. *1. Cor. IX, 26. 2. Cor. XIII, 7. ſq. 2. Tim. IV, 7. 8.* Ille vero *in Ep. ad Eph. c. VI, 10. ſq.* adverſus multiplices μεθοδείας ἀρχῶν, ἐξουσιῶν, κοσμοκρατόρων τοῦ σκότους αἰῶνος τούτου καὶ πνευματικῶν τῆς πονηρίας ſtare nos jubet animo ante omnia intrepido, *inque Domino fortes* ac imperterritos. Quibus in pedes mens concidit imos, galeati lepores potius quam veri Milites ſunt. Nil arma eorum metuit hoſtis, de quorum animis timore jam debellatis ipſi conſtat. Nos proinde, ne ex hoc capite turpem adverſario tenebrarum exercitui promittamus deditionem, confortari poſſumus atque erigi mente, ſi intueamur penitius, *tum hoſtes*, quorum Injuſta cauſa eſt, (ex odio enim & inſatiabili libidine nocendi nos aggrediuntur rebelles) robur jam infractum & vinci aſſuetum: *tum nos metipſos*, quippe quos nec bonitas cauſæ deſtituit; (Vocationis enim noſtræ memores quidni ſtationem noſtram digne tueamur? conf. *Sir. X, 31. 32.*) nec armorum copia deſit, ſ. ἀμυντήρια ſ. φυλακτικά res exigat; nec auxiliaris & ſubſidiarius e caſtris & legionibus cœleſtibus miles derelinquit *V. Pſal. XCI, 11. tum denique & imprimis imperatorem noſtrum ac Dominum* cujus præſens Numen robur merito inſpirat ac vires. Eſto igitur teſſera noſtra *vetus illa Antiochenorum vox*, ſed plena animi; ϛῆτε, χριϛὸς μεθ' ἡμῶν. *A dextris nobis eſt, non commovebimur Pſ. XVI, 8. Pro nobis eſt, quis contra nos? Rom. IIX, 31.*

§. XLIV.

§. XLIV.

Porro formatis ita animis induenda ſunt arma non hominum fabrefacta manu. Horum enim aciem rident Spiritus, ſecuri vulnerum aut confixionis *conf. Job. XLII, 17. ſeq.* velut fruſtra *Æneas ferro diverberat umbras*, ſic fruſtra quoque apud *Plutarchum Lacon ille* enſem in ſpectrum ſtringit; fruſtra temerarii exorciſtæ gladiis ſeſe armant ac fuſtibus, quos fugere, niſi voluerit, Sathanas nequaquam cogitur. 2. *Cor. X, 4.* Armatura Dei opus eſt, & quidem (1. *Baltheo veritatis*, qui lumbos præcingat: *h. e. ut lumbi in quibus potisſimæ corporis vires ſunt cingulo firmantur, ne inter pugnandum miles labatur, ita animus veritate Dei firmandus eſt, ne diabolus nos dubitantes ac hæſitantes facilius proſternat aut trucidet*, verba ſunt *Hemmingii Comm. ad Eph. VI, 14. apud Glaſſ. Phil. S. L. 5. tr. 1. c. 12. p. m. 344.* Nempe fidelis Deus & fallere neſcius pollicitus militi ſuo eſt: *non te deſeram, non te derelinquam V. Ebr. XIII, 5.* hac & geminis ipſis Veritatis promiſſionibus præparatus ſtet ille in præcinctu alacris & vigilans, (dormientes namque zonam ſolvunt, at Chriſtianum militem Imperatoris teſſera: VIGILATE a ſomno avocat) ne imparatum aut ineptum vis inimici ſubdola offendat. (2. *Thorace ſ. lorita juſtitiæ*, quæ muniat pectus: h. e. ne pateat tranſitus telis hoſtis aut habeat ipſe aliquid in nos poteſtatis, remiſſæ culpæ, imputatæ Chriſti juſtitiæ, Deique adeo placati ſuccurrere debet memoria. *Nequitia timida eſt, dans teſtimonium condemnationis, ſemper enim præſumit ſæva perturbata conſcientia. Sap. XVIII, 11.* At quorum illo integumento tecta ſunt peccata, horum quietum eſt pectus & in veſtimentis ſalutis gaudium cordis multum, multa ſecuritas, *Eſa. LXI, 10.* (3. *Calceis Evangelii pacis*, quale eſt illud *Gen. III, 15.* & quæ ex ipſo deducta deinceps alia. His inſtruendi ita ſumus, ut ocre-

ati

ati quaſi ad aſylum noſtrum, Nomen Domini, turrim illam firmiſſimam, inoffenſo pede per hoſtiles cuneos & pericula omnia pergere poſſimus. (4. *ſcuto fidei*, *jacula mali ignea elidente*. Hæc enim eſt *qua reſiſtendum Diabolo Petrus* quoque monet *1. Ep. V*, *9. qua vinci mundum* (cujus princeps Diabolus) *Johannes* teſtatur *1. Ep. V*, *4. 5.* Emblema ſcuti hujus *crux JESU coronata*, inſcripto lemmate: IN HOC SIGNO VICTORIA, ſuſtineri ab adverſario non poteſt, tremente ad illud & aufugiente. (5. *galea ſalutis* h. e. ſpe Conf. *1. Theſſ. V*, *8.* quam exempla Chriſti & ipſius & ſanctorum hominum fruſtra a larvis illis tentatorum inſigniter corroborant; ad quam fracta disſiliunt pila, quæ tutum gloria circumdat caput, adverſi confuſio eſt. (6. *Tandem Gladio Spiritus ancipiti*, h. e. verbo Dei potente & precibus proſternendus & abigendus eſt Iniquus. *Illam aciem* Chriſti victoria commendat, *Matth. IV*, *4. ſq. alterum* vox ejusdem monitoria: *Orate*, *ne intretis in tentationem Math. XXIV*, *40. conf. & c. VI*, *12. XVII*, *21.* ubi cotis quaſi loco *jejunium* additur, exacuturi orationem, atque ut penetret altius, facturi. Exempla felicis uſus horum armorum omnium paſſim ſuppetunt, nobis tamen in præſenti recenſendis iis neque tempus amplius, nec locus; cum, quæ fugienda ſunt, nunc veniant exponenda.

§. XLV.

Principio ab iis omnibus abſtinendum eſt, quibus gaudet Cacodæmon & ad ludificationes illas invitatur, qualia ſunt: *peccata contra conſcientiam*, ut idololatriæ, blasphemiæ, veneficia, artes magicæ, dejerationes, diræ impietas erga parentes, cædes innocentum, & ſimilia. *Vitanda triſtis cum ſolitudine melancholia*, cui nati non ſumus. *Cavenda temeritas*, ne geſtiamus videre vel audire ſpectra petulanit deſiderio,

rio, neve fingamus ipſi illa aut ſimulemus. *Deinde* videndum, *ne multa diſputationi aut colloquio prolixo indulgentes* periculo deceptionis nos exponamus. Quis ſit, qui iſtis nos infeſtat modis, unde veniat, quid intendat inquirere ex ipſo velle, ſupervacuæ eſt operæ. Aliunde jam ingenium, ſtrophas, ſtudia hoſtis cognita par eſt habere. Multo minus nova & abſtruſa doceri, aut de rebus fidem concernentibus inſtrui iſtis Monitoribus integrum eſt. Quid enim ſani exſpectes a Spiritu vertiginis & mendacii? quem obmuteſcere, etiam cum verum diceret, Chriſtus & Apoſtoli juſſerunt *Mar. I, 25. Luc. IV, 35. Act. XVI, 18. Tandem* circumſpiciendum eſt, *ne ad amoliendas infeſtationes ſpectrorum mediis utamur ſuperſtitioſis atque illicitis*, ſive Magorum vetitas artes de auxilio implorantes, ſive in rebus naturalibus ac ceremonis liberis virtutem, quam nullam habent, quærentes, ſ. ſacris ad hoc non inſtitutis abutentes. Hæc enim omnia neque DEI promiſſione, neque Eccleſiæ indubitato veræ exemplo commendantur; ſed ex pravis Ethnicorum inſtitutis transſumpta, & Diaboli ipſius dolo introducta non poſſunt non eſſe piis omnibus quam maxime ſuſpecta aut potius abominanda. Hæc noſtræ ſuper iſtis ſententiæ ſumma eſt.

§. XLVI.

Pontificii qui ſoli ſuæ Eccleſiæ poteſtatem in Dæmonas arrogant, multoties ab hac via deflectunt. Præterquam enim quod multa omittant facienda (*namque multiplici heterodoxia frangunt animos & perturbant, veritatem cæleſtem, Evangelium pacis, gladium verbi divini e plurimorum manibus, quos nempe Laicos indigitant excutiunt, juſtitiæ Chriſti imputationem, noſtræque non imputationem maculæ, ironice traducunt, fidei firmæ in locum fluxam dubitationem cæcamque juxta ignorantiam ſubſtituunt, ſpem Salutis purgatoriæ flamma timore contaminant,*

orationis etiam cultum multis modis temerant, id quod alibi prolixe Noſtri diſputant.) plurima inſuper fugienda faciunt. Tacebo, quod *peccatis enormibus* Diabolo in homines jus deferentibus patrocinentur partim & fomitem præbeant, utpote *in genere omnibus omnino* per indulgentias exiguo ære parabiles, per diſpenſationes & interdicta Pontificum venalia; *in ſpecie* vero quando *idololatriam* per cultum imaginum introducunt, *perjuria* per reſervationes mentales licitas cauſantur, *verbi divini contemtum* plenis velis invehunt, *parentibus debitum honorem* in Doctrina de votis & matrimonio *ſubtrahunt*, *cædes* innocentum Principum, qui hæretici aut hæreticorum fautores ipſis videntur, approbant; *lupanaria* tolerant & impudicitiæ genus omne mirifice fovent. Prætereo, quod in eremitico receſſu & triſti per omne ævum oris, vultus corporis habitu eximiam ponant ſanctitatem. Nihil de confictis olim tot ſpectris addo. Res loquitur ipſa, quod per iſta & ge-m..a Diabolo lata jam olim aperta fuerit porta, per quam monſtra ſua & formas totis agminibus intromiſit in Monaſteria, templa, ſpecus, adyta, compita, in quorum multis tamen ad renatam Evangelii lucem evaneſcere rurſum neceſſe habuerunt. V. *Sleidan. l. 9. de St. Relig.* Conferantur item *B. Nic. Hunn. Pell. Ovi. C. 3. §. 129. ſq. & D. Botſacc. de Sanctit. Eccl. Rom.*

§. XLVII.

Accedimus *ad Colloquia*, quæ cum ſpectris inſtituunt, paulo curatius attendenda: Nim. Cum plura credant apparentium Spirituum genera, ſigna vero e quibus diſcernantur, propria ipſorummet confeſſione non ſatis ſint certa; primum omnium rentur eſſe laborandum ut certis exorciſmorum formulis ſeu imperatoriis ſeu deprecatoris adjurati Spiritus illi, qui-

qua-

qualesve ſint, aut quo nomine, prodant, & quos habeant ſocios, quid velint, quibus de cauſis moleſti ſint, item quomodo expelli poſſint, ſignificent. V. *Thyr. de L. I. c. 53. & 70. it. de Dæmon. c. 46. Delr. D. M. l. 6. c. 2. ſ. 3. remed. 4.* ſed ſunt hæc omnia frivola profus & otioſa. Hypotheſin enim cui ea ſuperſtruuntur jam ſubruimus *Cap. præc.* §. *30. ſq. it.* §. *42.* Ubi v. de his ſpectrorum adjurationibus quicquam Scriptura vel primiceria Antiqvitas? *Illa* Dæmonum in obſeſſis adjurationis meminit quidem *Act. XIX, 13. ſq.* ſed ita ut pro Papicolarum inſtitutis faciat, ſcilicet. *In hac* Ordinem ſeu officium Exorciſtarum ante tertium ſeculum p. N. C. ignotum fuiſſe demonſtrat *B. N. Hunn. P. O.* § *817. Chemn. Exa. par. 2. p. m. 414. Gerh. C. C. l. 2. par. 2. p. 22.* Porro deprecatorie cum Dæmonibus agere quam turpe facinus! Quam etiam inſana cœcitas exſpectare a mendacii Patre veram per omnia confeſſionem! Dicis, *invito per adjurationem verum extorqueri?* At ſæpicule non cedit exorciſmis Dæmon, fatentibus ipſo *Delr. & Thyr.* cauſasque auxie rimantibus; quid igitur ſi mentiatur etiam aliquando? Utrinque enim jurata obteſtatione prohibetur facere, quod tamen facere poteſt & ſolet. Quare hic tandem pateſcit, quod §. *ſtatim 3.* inſinuavimus, *Pontificios immanium errorem ſuorum non paucos ex Sathana ipſo didiciſſe*, deceptos illa, quam prætulit Veterator perſona illa, quam miſcuit falſitati veriſimilitudine, illis quas edidit ſeu ultro ſeu adjuratus confeſſionibus. Non calumniamur, ſed hoc quod dicimus, evidenter demonſtrare poſſumus. Non commemorabo *Cottonum Monachum*, qui ex obſeſſa Fraxinea Pariſiis A. 1604. inter multa alia quæſivit *quis eſſet in Scripturis evidentisſimus ad purgatorium & invocationem SS. probandam locus*, quod dant factum eſſe, ſed excuſant tamen *Moguntini apud Danhau. Hodom. Papiſt. To. 1. phant. 1. p. 62. Legendæ & Vitæ Sanctorum* teſtimonia nobis crebra ſuppeditant, illæ qua-

rum lectione *Coſterus* ſatiari non poterat: illæ ad quas *D. Sche-ſterus* devius ipſe provocat, *l. ſup. cit.* qui non dabunt forte quod *Ludov. Viv. Caſſander. Eraſm. Eſponſæus*, *Canus aliique* agnoſcunt, fabuloſa eſſe & a Monachis conficta, quæ ibi refe-runtur. Faciamus a. non ficta mere, ſed vere facta eſſe: at quo-ties tales viſiones, apparitiones, revelationes Sanctorum ibi de-narrantur, quibus confirmatur; *S. Mariam V. non æquali tantum ſed & majori eſſe quam Chriſtus eſt, miſericordia, per ejusdem & alio-rum divorum divarumque merita ſalvari plurimos, dedicanda ipſis templa, celebrandos dies feſtos, deferendum religioſum cul-tum eſſe &c.* quæ cum ſint omnia S. literis contraria, a D. *Pau-lo* anathematizata, DEO abominabilia; liquet manifeſto non fuiſſe quales videbantur, Sanctos, ſed Diabolos, qui revelarunt. Conf. ſi exempla deſiderans *B. Balduin. Phoſph. Cath. l. 3. c. 27. p. 258. ſq. Dorſch. Anti-Corn. c. 30. §. 9. ſq. Gerh. Conf. C. l. 1. par. 2. c. 16. Finck. Cent. 1. 2. 3. 4. Legendorum Pap. &c.* Te-ſtor prætera *Bsigittæ Revelationes*, quarum libros plures *Ronif. IX. Pontifex R.* adhibito maturo Doctorum & Cardinalium con-cilio atque examine, edi in lucam *Cardinali de Turrecremata* permiſit, quæ ſcatent totæ ejusmod. apparitionibus Cœli-tum, ex quorum verbis dogmata ſua erronea confirmari ſæpe gloriantur Papicolæ; ſed niſi ſub iſto lucis ſchemate Antiquus Serpens mulierculæ iſti impoſuit, (id quod nobis omnino cer-tum eſt) cur *Henr. de Hasſia & Sibyllanus ap. Delr. D. M. l. 4. c. 1. q. 3. ſ. 4. Eſtius Svarez, Picus, Cajetanus*, tanquam indi-gnas fidei rejiciunt. Cur dubitat, & nutat *Durandus*, ſitne ve-rum Chriſti præputium, quod in Lateranenſi templo Romæ adverſatur? Maria enim *Brigittæ* illi apparens revelavit *V. l. 6. Rev. c. 12. ap. Dorſch. anti Cor. c. 26. §. 12.* Cur *Bellarminus l. 2. de purg. c. 8.* Trajanum negat Gregorii precibus in tartaro adjutum contra *Brigittæ Rev. l. 4. c. 13.* Cur poſt tot regno-

rum

rum deſideria Pontificis R. non definiunt veram eſſe B. Mariæ V. conceptionem immaculatam: id m. *Brigittæ* non ſemel eſt revelatam *l. 1. c. 9. l. 6. c. 49. & 55. Delr. l. prox. all.* imo cur. *Catharinæ Senenſi* revelatum contrarium eſt *V. Wadding. Legat. Hiſp. ſ. 3. p. 359. ſq.* Porro ad ſepulchrum Chriſti, quod ſupereſſe opinantur, torqueri Dæmonas ex ipſis ejulantibus diſcit Eccleſia Romana *V. Tann. par. 2. Anat. dem. 9.* §. *133.* Reliquias Sanctorum fugandis Diabolis eſſe, ex confitentibus iisdem diſcit Eccl. Ro. *V. opus catechiſt. Caniſii. q. 8. de Rel. S. p. 116. ſq.* In Jubilæo liberari ex purgatorio animas, expelli Cacodæmonas ex iisdem referentibus diſcit E. R. *Bzovius A. 1300.* §. *4.* V. de his & ſimilibus plura *ap. Nic. Hunn. Apoſt. Eccl. R.* §. *61. & Pell. Ovin.* §. *376.* Mariam, maxima damna inferis inferre, cum quos perdit Filius per juſtitiam, Mater per miſericordiam & indulgentiam adducat, ex maligno Spiritu conquerente diſcit E. *R. V. D. ſcip. de temp. ſer. 164.* Purgatorium inprimis, quod detur, quomodo ſe habeat, quibus & quamdiu tolerandum ſit, quomodo evadendum, ex animarum in de reducum apparitionibus, ſed valde invicem pugnantibus, h. e. ex Diabolis diſcit E. R. *V. Chemn. par. 3. Exa de Purg. p. 548. ſq.* Ecce infallibilem tantis Doctoribus Diſcipulam!

§. XLVIII.

Subit hic memoria loci cujusdem *Bellarminiani e. l. ejusdem. 3. de P. R. c. 21.* ubi *Flatio Illyrico* adverſus primatum Papæ ex. *1. Tim. IV,* 2. argumentanti, & doctrinas Dæmoniorum Papicolis imputanti, quia viſionibus omnia Spirituum & animarum probent: *quod addis*, regerit, *Papam omnia probare viſionibus Spirituum & animarum, neſcio quis tibi Spiritus revelaverit. Nos enim ad ea confirmanda, quæ ad ſtatum animarum pertinent, inter dum aliquid ex animarum apparitionibus a pro-*

batis ac vetuſtis Autoribus ſcriptis afferimus, quale eſt illud, quod ſcribit Euſeb. de apparitione S. Potamienæ l. 6. H. E. c. 5. & illud quod refert Aug. de apparitione S. Felicis Nolani l. de c. p. m. c. 16. ad alia vero confirmanda dogmata, neſcio quis unquam catholicorum viſiones animarum attulerit. Sed non eſt hoc primum veſtrum Mendacium. Habes hic ſpecimen extremæ purpurati Patris impudentiæ luculentiſſimum. Probavit ipſe ex apparitionibus variis Chriſti Deitatem *l. 1. de Chr. c. 12. arg. 9.* cultum reliquiarum *l. 2. de imag. c. 3. arg. 6.* cultum imaginum, *ibidem c. 12. arg. 9.* crucis Chriſti inventionem *ibid. c. 27.* confeſſionem auricularem *l. 3. de pœn. c. 10.* indulgentias *l. 1. de indulg. c. 3.* conceptionem intaminatam Mariæ θεοτόκȣ *l. 4. de amiſ. gr. c. 15.* quæ tamen omnia ſtatum animarum p. mortem non concernunt, & audet nihilominus dicere, *neſcire ſe quis Catholicorum hoc faciat?* Audet mendacii poſtulare, qui exprobrant; ipſe mendax propudioſiſſimus! Taceo quod ignorare non potuit tum plurima eorum, quæ §. *præced.* attulimus, tum quæ habentur *c. noſſe 21. diſt. 3. de conſ.* ubi *Pius pontifex* ex apparitione Angelica definit, *paſcha die Dominico eſſe celebrandum.* Cæterum id, quod confitetur, *ſe ad confirmanda ea, quæ ad animarum ſtatum ſpectat* (h. e. purgatorium, interceſſionem mortuorum pro vivis ſpecialem, & horum pro illis ſalutiferam, beatitudinem animarum, Miſſam, eleemoſynamque defunctis utilem &c.) *e Topica ſpectrorum argumentarii*, utraque accepramus manu, cum faciat partim ad propoſitæ theſeos noſtræ confirmationem, partim ad confuſionem Adverſarii, quippe quem ſibi inſigniter contradicentem hic tenemus. Nam quoties, quæſo, Scripturam eſſe fidei Regulam, & non niſi ex Prophetis & Apoſtolus hauſta dogmata, fundamento ſtabili ac firmo ſubſiſtere, veritatis radio præſtringente oculos, confeſſus eſt. Unum atque alterum breviter addo locum *L. 4.*

de

de V. D. c. 9. ait: *Nihil eſt de fide, niſi quod DEUS per Apoſtolos & Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur. Non enim novis revelationibus nunc regitur Eccleſia, ſed in iis PERMANET* (non hoc primum eſt veſtrum mendacium: reſorbeat ſua verba Cardinalis) *quæ tradiderunt illi, qui miniſtri fuerant ſermonis, L. 1. de R. P. c. 11. Fides Eccleſiæ nititur revelatione, quam habuerunt a DEO Apoſtoli & Prophetæ. Nec enim ſemper revelantur Eccleſiæ novi Arciculi, ſed in ea doctrina Eccleſia AC QVIESCIT, quam Apoſtoli & Prophetæ a Domino didicerunt & prædicatione vel literis ad poſteros mandarunt L. 6. de amiſſ. gr. c. 3. Non eſt de rebus, quæ pendent a div. voluntate, aliquid aſſerendum, niſi DEUS ipſe in Scripturis Sanctis tale aliquid revelaverit. L. 3. de Juſtif. c. 8. Non poteſt aliquid eſſe certum certitudine fidei, niſi aut immediate in V. D. contineatur, aut per evidentem conſequentiam ex eo deducatur.* V. cætera quæ ſunt juxta cum aliis hujus commatis *ap. Gerb. Conf. Cath. l. 1. p. 40. ſq.*

§. XLIX.

Arrigat & aures h. l. Jeſuita procax *KEDDIUS*, qui, cum XII. poſtulatis ejus nonnulli Noſtratium reſpondisſent, ubi nihil inveniret ſolidi, quod reſponderet, *nihilo nos melius quam Anabapitiſtas, Calvin. Socin. cauſam noſtram tueri, idem nos cum ipſis dicere*, repetitis vicibus ingeminavit; tamenetſi contrarium ejus dudum ipſi ob oculos eſſet poſitum. Eſt a ex præſenti materia, quod reprimere faſtum glorioſi Militis facile queat, ſi obſerves, ad apparitiones animarum, viſiones Spirituum, colloquia Angelorum revelationes Cœlitum provocaſſe jam olim & hodienum provocare heterodoxos plerosque omnes; Montaniſtas *Euſeb. l. 5. H E. c. 15. & 16.* Donatiſtas, *Aug. l. 3. contr. Vincent. c. 3 & Epit. de unit. Eccl. c. 16.* Cerinthum, *Baron. A. 97. §. 15.* Carpocratem, *Niceph. l. 3. c. 14. p. 177.* Paracelſum,

ſum, Schvvenckfeldianos, Fratres Roſeæ crucis, novellos Prophetas & Weigelianos, *Nic. Hunn.* Betrachtung der Weigel. *Theologie p. 76. & 396. ſq.* Anabaptiſtas, inprimis Thomam Muntzer & Joh. Leidenſem V. *Luth. To. 2. Witt. p. 378.* Calvinianos, Carolſtadium, Zvvinglium aliosque *conf. idem Luth. l. contra. Cæl. propb. Nic. Hunn. Apoſt. Eccl. R. §. 701. Exc. Dn. D. Præſens diſp. de Prophetiis A. 44. habita. ſ. §. 31.* Cauſa igitur ſua cadunt Pontificii, Keddiano judicio, quando cum his hæreticis idem dicunt: *revelavit Angelus, confeſſa eſt anima &c.* Immo addam, quod majus eſt, quando *idem hoc ipſo dicunt cum Ethnicis & Muhammedanis*, quoniam horum Alcoranum a Gabriele Archangelo traditum Impoſto riſceleſtiſſimo Mahumet fuiſſe jactant, referente *Thyr. de app. Sp. c. 16. §. 4.* de illis autem in propatulo eſt, quod idolomaniam ſuam revelationibus Heroum per quietem aut viſionem apparentium fundarint, auxerint, perfecerint, V. *Hun. Papat. non Chriſt. §. 50.* Quanquam adhuc errarint hi ipſi excuſatius, cum ignorarint eſſe Sathanam, a quo ſub habitu iſto faſcinarentur: *noſtri autem Pontificii prudentes etiam & ſcientes, eſſe Diabolum, qui teſtimonium ipſis dicat de ſanctorum defunctorum ope ac interceſſione, de virtute reliquiarum, de miſſa, de laborantibus in purg. aliisque R. E. doctrinis, non aliter fidem illa adhibent ac ſuo Præceptori ordinario fidisſimoque, paganis hoc ipſo longe deteriores.* Verba ſunt *Hunni* pleraque §. *289. Apoſt adhuc triumfantis.*

§. L.

Sed hæc hactenus de verbis, quæ faciunt ad ſpectra Pontificii, paulo fuſius expoſuiſſe placuit, cum principium quoddam Anti - Chriſtianorum βδελυγμάτων tangerent, locoque moverent; nunc ad res accedendum eſt, quas adverſus ſpectra commendant, & vela tandem contrahenda. *Sunt illæ vel*

natu-

naturales, *vel Eccleſiaſticæ ſ. Spirituales*. Prioris generis ſunt vel herbæ & radices, *baares*, *thapſia*, *pæonia nigra*, *rhamnus*, *verbaſcum*, *ruta agreſtis*, *ſcylla*, *aniſum*, *Hypericum* (quod inde fuga Dæmonum quoque dicitur) *verbena*, *herba pandis*, *antirrhinum*, *artemiſia*, *abrotanum*, *barba Jovis*, *leontopodium*, *ſolſequium*, *leviſticum*, *ſopus*, *ſalvia*, *tusſilago*, *polegium*, *Centaurium*, *palma Chriſti*, *Ariſtolochia*, *fœniculum*, *allium &c.* Lapides: *Adamas*, *Chryſolithus*, *Corallium*, *Gagates*, *Jaſpis*, *Ætites*, *Smaragdus*, *&c.* Particulæ, animantium; *hepar camæleontis toſtum*, *nervi hiænæ*, *oſſiculi Rubetæ*, *pellis aſini*, *ungula onagri*, *roſtrum lupi*, *cruor menſtruatæ &c.* ſi poſtibus illinantur, ſubjiciantur liminibus, collo appendantur, ſi accendantur, aliisve adhibeantur modis, varie Dæmonas offendere in maleficiis & obſeſſis impedire, curciare, fugare, a variis prædicantur, quos V. allegatos inprim. ap. *Delr. l. 6. D. M. c. 2. ſ. 2. & Thyr. de L. inf. c. 61.* Sed cum (1. hic ea omnia virtute ſua in corpore etiam obſeſſorum multum, in Spiritus autem inprimis qui loco infeſtant, nihil quippiam poſſe, contra *Abulenſem* ipſemet fateatur (2. *Ille* etiam veriſſimum pronunciet, quod plerisque placet Theologis, corporeas res in naturam intellectualem & immaterialem, qualis eſt Dæmon, nihil poſſe, niſi ſecundario, mediate, indirecte, eas ſcilicet diſpoſitiones, quibus utitur Dæmon in vexandis corporibus, impediendo: (3. *res ipſa* præterea plana ſit, quod ſuperſtitioſa illa ab Ethnicis, Judæis, Magis transſumta ſint media; nihil amplius addimus. Uno ſaltem verbo *Delrium l. de* ſibi contradicentem ac huc producimus. Ait, *corporeis rebus vim naturalem, qua pellere & cruciare dæmonem poſſint, Deo vel Angelo primario agente, inſitam initio creationis eſſe:* ſi hoc verum, agent naturaliter, neceſſario, immediate, directe, proxime: id quod ante negabat.

 §. LI.

§. LI.

Eccleſiaſtica remedia multis ediſſerunt, commendant, defendunt *Delr. l. c. ſ. 3. & 4. Thyr. c. 65. usque ad 93.* Suntque ea, ut in compendium rem contraham, *vera & viva fides*; *oratio tum in genere*, fuſa vel ad Deum, vel ad Mariam Dei param, vel ad Sanctos alios, vel ad Angelos inprimis cuſtodem; *tum in ſpecie* ſalutatio Angelica ſ. *Ave Maria & Pater noſter*, ut loquuntur, præſertim ſi ad globulos orarios & Roſaria iterentur: *uſus Sacramentorum*, ſi, qui infeſtantur, hoc nondum tincti ſint lavacro, Evchariſtiæ, confirmationis, olei extremæ unctionis, confeſſionis ſ. exomologeſeos peccatorum. Porro *pia ſcripta*, ut Symbolum Apoſtolicum, Evangelium Johannes & ſimilia in ſchedis collo appenſa: *ſignum crucis* ſ. tranſiens ſ. permanens: *Reliquiæ Sanctorum: Opera miſericordiæ & ſatisfactoriæ*, jejunium nempe, eleemoſynæ & preces: *ſacrificium Miſſæ: res conſecratæ*, ut aqua, agnus Dei, cerei, ſal, panis, ignis: *exorciſmi* denique & his ſimilia. Examinare hæc omnia diligentius prolixæ foret operæ. Nos breviter in genere tantum ad ea obſervamus, (1. ſi *fidem* excipias & *orationem* rite ad Deum directam, de quibus *ante* §. 44. & 46. diximus, reliqua omnia divina ad hunc finem ordinatione, commendatione & de efficacia promiſſione carent, ac ſunt proinde inidonea ad hoc bellum. Arma quibus feliciter hic pugnatur ex ſummi Imperatoris arbitrio ſumenda ſunt. Offendunt hunc, quicunque ſpreta ipſius πανοπλία ſuis indulgent inventionibus, immo qui hoſti, aliena & exoſa duci optimo telorum genera ſubdole commonſtranti credunt. Nam id (2. notandum cumprimis eſt, pleraque ex ſpectrorum teſtimoniis, quæ verbo & facto (fugam intelligo & ab infeſtatione ceſſationem) præbuerunt, depromi & confirmari, uti teſtes Tibi erunt ſectiones

illæ

illæ binæ *Delrii* ante laudatæ. At vero neque verbo Dæmonum credendum erat, quippe ab initio & ſine fine mendacium: neque facto, quia ſimulant nequam. Ac poſſumus huc quoque *Thyraei* applicare verba, quibus falſos modos cum ſpectris agendi a catholicorum refellit, & ad media ab ipſomet de hinc allata, eodem jure dicere: *Concedo ad illa media ſiluiſſe aliquando Spiritus aut ceſſiſſe: nego propter illa, quaſi vim eam habeant: nam aliæ Spiritus rationes moverunt. l. de L. I. c. 56. §. 8. ſeq.* Item: *ſi fugiunt ad iſta, fugiunt quia volunt non quia fugere coguntur: fugiunt propoſito in errorem abducendi c. 57. §. 13. 14. Cauſa, cur in Spiritus iſtæ res* (etiam Eccleſiaſticæ) *nihil poſſint, posſint autem a nobis* (ſupra §. 44. 45.) *indicatae, eſt, quod has Deus velit eſſe arma noſtra, illas non velit. Ut hic ſimile quid ejus ſit, quod Sacramento baptiſmi accidit, ubi aqua ad remisſionem peccatorum valet, vinum vel alius liquor non valet c. 58. §. 13. Multa quotidiana experientia fieri obſervamus, quæ damnant docti & pii, quæ non Deum, ſed dæmonem habent Autorum; quid ſi ex horum genere ſint & illa? Et eſt profecto quod vehementer has res de ſuperſtitione ſuſpectas facere debeat &c.* quæ ſequuntur omnino huc contra *Thyræum* & ſocios, facientia ex *Thyræo, c. 63. §. 10. 11. ſq. c. 64. §. 12. 13. 14.* Præterea (3. ſunt ἀντίγραφα pleraque conf. *Matth. IV, 10. Apoc. XIX, 10. Math. VI, 7. 8. Rom. XII, 3. 1. Cor. IV, 6. Deut. IV, 2. Matth. XV, 9. Tit. III, 5. Pſal. XIX, 13. 2. Tim. III, 16. Eſa. XXVI, 19. 20. c. I, 12. Col. II, 23. 1. Tim. IV, 2. 3. Ebr. X, 10. ſq. Devt. XIIX, 12.* &c. Tandem (4. ſunt nova in Eccleſia Dei, Ethnicis, Magis, Hæreticis maximam, partem familiaria, id quod jam olim deduxit *B. Nic. Hunn. P. O. §. 838. ſq. Apoſtaſ. R. §. 358. 357. 352. 353. 162. 79. 180. 171. 72. 148. 357. 221. 448. 71. 506. 507.* quo plura deſiderantem ablegamus. Conferri etiam *Balduin. poteſt. Caſ. Conſc. l. 3. c. 7. caſ. 6. 7. 8. & c. 5. caſ. 3. & 4. it. c. 3. caſ. 9.*

§. LII.

Redeo tandem ad *C. L. D. Scheſlerum*, quem ex animo velim cognoſcere ex hactenus allatis, cœcitatem ejus ad quam deviavit Eccleſiæ, quæ nempe dum Scripturam S. unicam illam veritatis divinæ teſſeram, fidei regulam, Magiſtram morum, normam cultus; viæque ſalutis indicem negligit, criminatur, deſerit; tantis obvolvitur tenebrarum nebulis, ut ſe quotidiana Angelorum conſvetudine & frequenti Sanctarum Eccleſiæ triumfantis mentium communione putet illuminari commendarique, dum Sathanas eſt interea, qui ſub iſta ſpecie fallit illam atque peſſundat. Velim ex animo, ne per erroris efficaciam porro mendacio credat ac judicetur deinceps, quod non veritati potius, quam iniquitati conſentiat. Et quam velim hoc, ulterius declarare conſtitui diſcuſſione libelli repudii, quem dedit Eccleſiæ noſtræ, ſed ſummaria, cum alias id actum jam eſſe prolixius, meminerim. Conferam autem & ſimul aggrediar claſſis utriusque oppoſitas theſes, quandoquidem eæ quod abnuunt Lutheranis, Pontificiis annuunt; commonſtraturus breviter, *afferri utrinque! talia, quæ ἄγραφα & ἀντίγραφα, quæ ἄλογα & αντίλογα, quæ ἀνακόλουθα ac aperte falſa, quæ dudum in hæreticis damnata & ab orthodoxis conclucata, que denique ipſorum Pontificiorum verbis & hypotheſibus adverſa ſunt.* Atque hæc omnia loco.

MANTISSÆ.

I.

Igitur in iis, quæ *de Antiquitate doctrinæ* aſſeruntur (1. abſurdum eſt & inconſequens, *veritatem doctrinæ ex nuda antiquitate æſtimare:* quod dudum oſtenderunt *B. Hunn. P. O.* §. *266. ſq. Gerb. Conf. c. l. 2. par. 1. p. 1152. ſeq.* conceſſit Pontifex

diſt.

diſt. 8. c. 5. ſi conſuetudinem & ſeqq. (2. Manifeſto falſum eſt, *doctrinam noſtram eſſe novam*, cum ſit *æternum Evangelium Apoc. XV, 6.* cum ſit a Prophetis & Apoſtolis tradita, id quod omnes noſtræ catecheſes loquuntur, atque ipſi concedunt Adverſarii, quorum teſtimonia collegit *B. Gerh. Conf. c. l. 1. c. 8. n. 1.* Eccur alias nos vocant: *Scripturarios, Bibliiſtas*, Wortsknechte, Schrifftshanſe, cur *in laceris pannicalis* i. e. Scriptura S. *ſitam eſſe fidem noſtram* contemtim ajunt? V. & *Brochm. lych. proph. par. 1. c. 3. ſ. 3. p. 75. ſeq.* (3. Falſum eſt, *inde ab Apoſtolorum ætate nullum neque minimum cætum ea tenuiſſe quæ nos docemus.* Intra ipſam Germaniam hanc primis ſtatim a C. N. ſeculis non aliter Eccleſias crediaiſſe, ex *Irenæo, Tertull. Hier. Aventino aliisque* tum in genere, tum in ſpecie quoad Articulum de Juſtificatione oſtendit accuratiſſime *B. Wilh. Lyſer. diſp. ſolen. de Germ. antique A. C.* (4. ἀντίγραφον eſt, quod ſupponitur, *veram Eccleſiam ſemper eſſe cætum viſibili ſplendore, cultu imperturbato, & affluenti multitudine notabilem, & hominibus quoque conſpicuum. Conf. Apoc. XII, 6. 1. Reg. XIII, 10. ſeq. 2. Theſſ. II, 9. &c.* (5. manifeſte falſum eſt, *nullum Doctorem Romanam Eccl. erroris ante Lutherum arguiſſe*, quod & *h. l.* & deinceps *claſſ. poſt. n. 15.* ait Jam olim enim *Flatius Catalogo Teſtium veritatis*, volumine ſpiſſo, contrarium oſtendit. Conf. & *Gerb. Conf. c. l. 1. p. 95. ſeq. & l. 2. part. 1. p. 699. ſeq.* (6. abſurdum idem eſt, & prorſus ridiculum, *priſcos Patres errores Eccleſiæ R. & abuſus omnes, quos* Lutherus *notavit, reprehendere debuiſſe*, cum maximam partem noviter, poſtquam illa diſparuere lumina, irrepſerint (7. falſum rurſus, *non eſſe Patribus conſentaneam, religionem noſtram*, cum ex iisdem *Chemnitius, Heilbrunnerus*, aliisque ſingula noſtræ fidei capita ex Scripturis primum probata, illuſtrare ſoleant: (8. ſed & abſurdum hoc eſt in eo, *quod a nobis poſtulat, quod ipſe* requiſitus, licet

temere præſumat, præſtare *nunquam poſſit.* Monſtret, quæſo, *Scheflerus* Doctorem vel unicum ex prioribus ſeculis, qui per omnes articulos cum Papatu in ſcriptis genuinis feciat: & *erit mihi magnus Apollo.* *Tannerus* ſane tantum non auſus eſt *V. Hunn. Apoſt.* §. *44.* (9. Falſum porro *doctrinam Pontif. modernam univerſam ab Apoſtolis eſſe traditam, a Patribus uniformiter propagatam, miraculisque & martyrum ſanguine confirmatam.* Novitatibus enim innumeris, a Paganis, Judæis, Hæreticis, e Topica ſpectrorum atque aliunde transſumtis contaminata, a Veteri & primigenia in Apoſtolicis ſcriptis expreſſa fide δὶς διὰπασῶν diſcrepat. V. Specimen expoſiti diſſenſus *in Catal. Teſt. Verit. l. 1. col. m. 33. ſeq. Ægid. Hunn. præf. Com. in Ep. ad Rom. Nic. Hunn. P. O.* §. *463. Brochm. lychn. part. 1. c. 3. ſ. 2. p. 73.* Tranſeo cætera quæ *in claſſe Motivorum altera N. 1.* admiſcentur glorioſe magis quam vere dicta. Sufficiat iſtis monſtraſſe, quam vane antiquitatem ſuæ Ecclcſiæ jactet, noſtræ novitatem, ſed apparentem, ſugillet more prorſus Phariſaico conf. *Matth. XIX, 3. Mar. I, 17.*

II.

De principio fidei quando diſputati. (1. falſum eſt, *doctrinam noſtram non niti verbo Dei ſincero*, neque vel de uno ejus capite probari ab Adverſario poteſt. Teſtamur rurſus omnes inſtitutionem noſtras Theol. Soli expoſitas publico: teſtamur voces Papicolis ipſis vi veritatis aliquando expreſſas *Num. 5. paulo ante* indigitatas. (2. ἀντίγραφον eſt, *V. D. Scripturæ S. quaſi opponi*, ſecundum *Cani, Coſteri, Lindani* & aliorum ingenium. *V. 1. Joh. I, 3. ſeq. 2. Cor. I, 13. ſeq.* (3. falſum eſt, *ſectas omnino omnes in Scriptura ſe fundare*, cum potius omnes (neque diſcedunt hic Romanenſes) *quando ex Scripturis arguuntur, in earundem accuſationem convertantur, iisque detrahant, quaſi non rite habeant,*

beant, neque ſint ex autoritate, quia varie ſint dictæ, & quia non poſſit ex his inveniri veritas ab his, qui neſciant traditionem, ut fere habet *Irenæus l. 3. adv. hær. c. 2.* (4. falſum eſt & per calumniam dictum, *quod ſacras literas pro lubitu & ſecundum præconceptas opiniones interpretemur.* Nil noſtrum inferimus, efferimus omnia ex Scripturis προσέχοντες ὡς λύχνῳ φαίνοντι Abſolvet nos, quisquis de Scriptusarum interpretatione Regulas Noſtratium penſitabit. (5. hæreticum eſt, & enthuſiaſmus cum *Montano* ex Eccleſia Dei dudum exeſſe juſſus, qui latet *ſub titulo, quo Doctores noſtros ſalutat* ἀθεοδιδάκτους. (6. falſum porro, ſi mediatam tum informationem, tum vocationem, divinam eſſe & dici poſſe concedit, *quod eandem Theologis noſtris detrahit.* Opponimus puræ negationi ſimplicem affirmationem & ad *claſſ. poſt n. 8* conferendum pergimus, ubi (7. Falſum eſt, *Romanam Eccleſiam*, cujus Præſes cum Clero omni inenarrabili faſtu & genio tumet arrogantiſſimo, *humilem ſe in tractanda Scriptura S. gerere.* Quin ſe potius & autoritatem ſuam longe ei anteponit, perſpicuitatem quoque perfectionem, normalemque & judiciariam poteſtatem pronunciatis R. Pontificis, hominis ſæpe rudis & illiterati tribuit, quam Spiritus S. decretis negat. (8. Falſum eſt, & ipſis hypotheſibus Pontif. adverſum, *Scripturam ſacram a Doctoribus Papæis non exponi ad proprium placitum:* Scripturæ namque ſenſum communiter ſubjiciunt Eccleſiæ, h. e. Papæ. *V. Gerh. Conf. c. l. 1. par. 2. c. 1. p. 195. ſq.* (9. Falſum eſt, *concordi Patrum expoſitioni in Scripturis interpretandis ſubmittere ſe Papicolas*, cum potius Patrum interpretationes ſubjiciant Pontifici R. ante cujus approbationem nil valeant. V. *Piſtorius in hodeg. c. 51.* Indices expurgatorii hoc loquuntur, & Commentarii Jeſuitarum, in quibus nihil frequentius, quam Patrum etiam deſerere explicationes, ſi Romanæ ſedi contradicant. Non licet nunc ad exem-

pla

pla deſcendere, quæ ſuppetunt frequentiſſima. V. interea *Gerb. Conf. c. l. 1. p. 595. ſq.* (10. ἄλογον quoque & ab ipſis Papiſequis, antiquitatis non ignaris, exploſum eſt, *Patres in omnibus ſ. invicem, ſ. cum E. R. conſentire* V. contrar. *ap. Gerb. l. d. p. 602. ſq.* Taceo & nos conferre Patrum interpretamenta. Poſtremo ſaltem (11. obſervo, quod qualenam ex adverſo certum, indubium ac immobile principium ac fundamentum Papatus habeat, exprimere diſerte non fuerit auſus Transfuga, forte dubius adhuc de illo & incretus. Sed ad.

III.

De Luthero nunc deveniendum ubi (1. falſum eſt *Lutherum doctrinæ noſtræ Autorum eſſe.* Licet enim a fideli miniſterio ejus denominari nos Lutheranos diſcriminis e. libere patiamur, principium tamen & originem fidei eo ipſo non includimus. Conf. ipſum *Tom. 2. Jen. Ger. f. 92.* (2. ἀνακόλουθος eſt, quicquid etiam objicias, modus argumentandi *a vitiis Doctorum ad falſitatem doctrinæ:* falſa enim alias erunt, quæ habentur *Num. XXIV. & XXV.* Quid quod Pontifices Romanos quam plurimos ſceleratiſſimæ vitæ, tamen ἀμεταπτώτους in doctrina pronuncietis. Hæreticum & Donatiſticum eſt placitum, non poſſe Spiritum S. miniſterio malorum in Eccleſia uti. At (3. mendaciſſima invectiva eſt in B. Virum, *ſcurrilitatis, ſuperbiæ & inconſtantiæ* (mirum quod non addidit ex iisdem maledicis Lutheri inſectatoribus, ab incubo progenitum, Diabolo familiarem αὐτόχειρα fuiſſe, & conſimilia) *eundem accuſans*, ſed conculcata jam dudum ſufficientiſſime. V. vel ſolum *Lutherum defenſum D. Joh. Mulleri.* (4. ineptæ & inconſequentes ſunt probationes, *impudentiae, e libro Colloquiorum menſalium*, cujus tamen autoritas, tanquam a Luthero nec viſi nec approbari unquam, nulla eſt; *ſuperbia: ex Principum Virorum*

duriori

duriori increpatione ſeu zelo heroico pro gloria Chriſti & verbi ejus eque pertinacium & excœcatorum magnanima eluſione; *inconſtantiae denique ex confuſione ſcriptorum priorum cum poſterioribus.* Sic An. 1521. illa Mariæ compellatio ab ipſo facta *To. 1. Jen. Ger. f.* 477. Sed ſunt hæc diu jam protrita. (5. iniquum illud eſt, *quod linceis alios, ſuos talpae oculis reſpiciat.* Sane Jeſuitarum effrons impudentia, Pontificum plurimorum dicta ſactaque factuoſiſſima, vitiaque eorundem alia cum illis, quo Luthero nullo ipſius merito impingit, comparata, infinities eadem excedunt. Sed *ſanctos Patres, priſca Eccleſiæ lumina eorumque gravitatem, humilitatem, & ſanctimoniam occentat claſſ. 2. N. 2.* Id vero (6. ἀπροσδιόνυσον dico, nam quid iſta ad commendandum Papatum, cui minus ſane quam nobis favent, cui adverſantur in plurimis Patres. Vid. *Chemn. Exam. Conc. Trid. & Eckarti Compend. Patr. Quando.*

IV.

Ex disſidiis aliquando Eccleſias noſtras turbantibus, ad rejiciendum easque inſurgit, (1. Nulla eſt Conſequentia: namque & inter Apoſtolos interdum diſcordia ſubnaſcebatur V. *Act. XV,39. Gal. II, 11.* Proinde (2. ἀντίγραφον eſt ratiocinium. Conf. & *Matth. XIII, 25. ſq. Actor. XX, 29. 30. 1. Cor. XI, 19. 2. Cor. XI, 13. ſq. 1. Joh. I, 18. 19. Apoc. II, 6. 15.* Ex adverſo concordia etiam Sathanæ regno & malignantium cœtui citra tamen veritatis notam tribuitur *Luc. XI, 18. Pſal. II, 2.* &c. (3. Falſum eſt, *quod qui vere noſtri ſunt & manent, Doctores in fundamentalibus Articulis diſſentiant. V. Fidel. Admon. Witteb. 2. p. 69. ſq.* (4. ſubdolum eſt, *quod in altera claſſe omittitur Antitheſis.* Tot enim diſſenſiones & pugnæ apud Papicolas inter Scholaſticorum tota agmina, Monachorum varios ordines, decerta Pontificum diverſa, Pontifices ipſos & privatos Scriptores oc-

ut integris voluminibus vix dinumerentur. V. *totum Opus Conf. Cath. Gerhardinum Flat. l. de diſſenſ. Pontif. Rada de controv. Theol. inter Tho. & Scot. Nic. Hunn. P. O. c. 4. §. 119. ſq.* quæ omnia cum *D. Scheflerus* ignorare non potuit, diſſimulare omnino debuit & premere (ſecus quam fecerat in MSS. theſibus Latinis) ne notam ſuæ Eccleſiæ deperderet.

V.

De Paſtoribus (1. falſum eſt, magnæque audaciæ, ſed fidei atque integritatis nullius reprehenſio, *quod noſtri omnes ſint ſummi infideles & incurii de ovium etiam ſingularium ſalute,* cum cura ſpecialis plurimorum, Pauli exemplum æmulantium, (*Act. XX, 20. 31.*) produci facile in publicum poſſet, niſi extaret jam ante ea circa parvulos & adultiores, ſanos & ægrotos, nubentes & moribundos, circa tentatos, lapſos, refractarios, mœrentes, & cæteros ſingillatim juvandos, increpandos, informandos, plerorumque ſollicitudo. (2. cavillus eſt, *invitandos ipſos ap illam curam eſſe aut ſpe mercedis, aut magiſtratus autoritate cogendos*, ſi præſertim de univerſis intelligas, id quod neceſſum eſt, niſi perire argumenti vis debet. Sed habeat in numerato Apoſtata aliquot forte exempla talis incuriæ, (3. improbum eſt, *toti Eccleſia imputare, quod unius eſt, ſi quod eſt, vel alterius vitium.* Eſt (4. in conſequens argumentatio *ad falſitatem doctrinæ & Eccleſiæ a Paſtorum negligentia.* Solvitur enim per inſtantiam *ex Eſa. LVI, 10. ſq. Jer. XXII. tot. Ezech. XIII. tot.* Immo (5. *ſi valet hæc collatio*, Eccleſia Romana vera non fuit ſeculis anne Lutherum proximis, quibus ſumma Pontificum, Epiſcoporum & Cleri omnis incuria longe lateque ſerpebat, bonis omnibus fruſtra gementibus, *V. Bernh. libb. ad Eugen. Onus Eccl. Stellam Clericorum, aliosque a B. Nic. Hunn. de Voc. Luth. c. 3. tot. Gerh. Conf. C. l. 1. p. 95. ſq.* Nec hodienum

num Epiſcopi Romanenſes, quos maxime decebat eſſe διδακτικοὺς *1. Tim. III*, 2. animas potius quam aulas curant, vel ipſi Jeſuitæ oves magis quam opes quærunt. (6. obſervandum & hoc, *quod in latinis theſibus MSS. publicam praedicationem exceperit, in qua nempe adhuc officii rationem Noſtros habere fatebatur*: nunc candor omnis periit: & hoc tacetur: cum neque a Weigelianis neque Pontificiis magni illa miniſterii Evangelici portio æſtimetur; ſed convitiis potius proſcindatur. (7. ἀνακόλουθον præterea, immo ἀντίγραφον una etiam, argumentum oppoſitum eſt, ductum *claſſ. poſt. n. 3. a cura ſpeciali Paſtorum ad Religionis veritatem. Conf. 2. Tim. III, 2. ſq. Matth. XXIII, 15.* (8. neque verum in eodem, *curari a Pontificiis decenter ſingulos*, id quod in opidulis æris indigis & ruri perſpicuum, ubi nulla rudiorum catecheſis, fides plerorumque implicita h. e. ignara DEI ſuique & ἀναπολόγητος. *Confeſſio privata* nihil præ noſtra, quo ſe jactet, habet, niſi carnificinam conſcientiarum & offendiculum propter deteſtandas qq. ſimpliciorum.

VI.

Et claſſ. pon. 4. de Monaſtica & Eremitica agit *vita*, ubi (1. ἄγραφον eſt, *Monaſticam vitam nuncupare Spiritualem* neq; n. S. literis qui in carne vivunt, idem ſunt, quod conjugati, uti quidem Pontifex infallibilis ille interpres παρερμηνέυει Apoſtolicum illud *Ro. IIX, 8. V. Diſt. 82. c. propoſuiſti* 2. (2. ἀντίγραφον eſt, *non debere damnari id vitae genus, quod vivunt hodie. Monachi* Regulis hominum obſtricti, DEO inobedientes, libidinoſi, in rerum omnium abundantia luxurioſi, ἀπράγμονες multa penes DEUM merita ſibi pollicentes. Conf. *Matth. XV, 9. 1. Cor. VII, 2 Ro. XIII, 14. 2. Theſſ. III, 10. ſq. Gal. II, 21.* (3. ἀθεόλογον eſt, *Monachatum*, quem cultus divini ſpeciem faciunt, *non DEI inſtituentis verbo, ſed hominum duntaxat exemplo probare.*

bare. (4. Abſurdum eſt, *Sanctorum eorum exemplo uti, qui violenta perſecutionum rabie concedere in ſolitudines cogebantur.* Neceſſitas deinde in voluntatem verſa præter mentem illorum eſt. *V. Sozom. l. 1. H. Ex. 13.* (5. ἄλογον eſt, *ab antiqua conſuetudine ritum DEO placentem arguere.* (contradictorium eſt, *initia Vitæ Monaſticæ in V. T. & initiis etiam Novi collocare, & tamen deinceps eadem in Ægypto circa tertium p. C. N. ſeculum ponere.* (7. Grande crimen eſt homine Pontificio, *Papæ contradicere.* Ejus autem auſpiciis legimus in *Jure Can. II. q. 3. c. ad menſam 24. Pauli Apoſtoli ætate neque veſtigium Monachi erat.* Vide quomodo Eccleſiæ obedientiæ te ſubmiſeris! (8. falſum eſt *ſ. Eſſæos ſ. Rechabitas ſ. Prophetas, ſ. Joh. Baptiſtam fuiſſe Monachos*, h. e. ejuraſſe uxores & facultates proprias, effugiſſe hominum frequentiam, cellisque incluſos, regulis certis & votis ſub opinione meriti ſe adſtrinxiſſe. (ἀνιστορισία eſt, *Eſſæos cum Rechabitis confundere*, quorum diverſa longe inſtituta fuerunt. (10. ἀνακόλουθον eſt, a *Monaſticorum Ordinum approbatione ad Eccleſiæ Veritatem colligere:* nam ita & *Gentiles ac Græci inprimis Rutheni, item Turcæ* cooptabuntur in communionem fidelium, cum ſuos & illi Monachos diu habuerint. (11. inſufficiens eſt, *XIII. ſeculorum obſervatio ad genus Chriſtiani cultus firmandum*, niſi ad Apoſtolus adſcendas, quorum miniſterio in N. T. doctrina, cultu & regimine Eccl. determinando uſus DEUS, ſubſecuturis ſeculis omnem novandi licentiam ademit. (12. Denique falſum eſt, *Vitam Monaſticam cum priſca & primigenia eandem hodie obſervari. Quid noſtri ſibi de Monacho præter nomen & habitum vindicant. Ubi enim in eis vel eſt, vel apparet Monachi humilitas? ubi charitas? ubi illa quæ beatos facit paupertas? Petrus Cluniac.* jam ſuo tempore conqueritur. *V. omnino Zeæm. Apol. Acathol. Pap. Heilb. Tom. 2. Ar. 4. c. 2. §. 3. p. 249. ſq. Sutliv. de Monachatu præf. & c. 7.*

VII.

VII.

De *legis obſervatione* diſputans (1. ſubdole agit, quod *indefinite loquitur, docere nos quod impoſſibile ſit Chriſtiano homini ſervare mandata DEI.* Perfecte omnia Dei præcepta ſuis operibus implere ullum hominem poſſe, id demum negamus. Et *hanc doctrinam vocare damnabilem* (2. blaſphemum eſt, nam tota eandem inculcat Scriptura diſertis verbl. oc. multis conf. impri. *Job. VII, 19. Act. XV, 9. 16. 1. Reg. IIX, 46. 1. Joh. I, 8. Rom. III, 20. VII, 14. VIII, 3. Gal. III, 21. &c.* (3. Hæreticum eſt, *pugnare Pelagii argumento*, quod jam olim ita repreſſit *Auguſtinus l. de gr. & L. A. c. 4. Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putans, quando dicunt: non juberet DEUS, quod ſciret ab homine non poſſe fieri. Quis hoc neſciat? ſed ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus quæ ab ipſo petere debeamus.* V. Plura ap. *Bald. diſp. pec. Ord. de implet. leg. c. 6. §. 62. 63.* (4. ἀνακόλουθον eſt argumentum, niſi ſupponas, abſolute impoſſibilia dici a nobis præcepta divina & fruſtranea, quod tamen nunquam nobis in mentem venit. Dicimus DEUM inchoanti legis impletionem reliquam imperfectionem ignoſcere. (5. alienum eſt a St. C. *quod de omnipotentia DEI adfert:* non enim Q. quid DEUS poſſit per abſolutam potentiam ſuam in hominibus, ſed, quid homines carne adhuc ſufflaminati opere ipſo præſtent? (6. ſalſum eſt, *meritum Chriſti noſtra ſententia extenuari*, cum hæc potius illi innitatur. Nam quia nos ex lege juſtificari non poſſumus, ideo venit Chriſtus ut impleret legem noſtri loco, eidem ad mortem Crucis usque ſe ſubjiciens, & per fidem nobis eam juſtitiæ ſuæ perfectionem applicans. (7. Aliud rurſus eſt, *legere veſtigia usque imitari eundem*, quod poſſumus per gratiam DEI; meritum Filii & auxilium Sp. S. *aliud eidem etiam in omnimoda ἀναμαρτησίᾳ coæquari*, id quod negat cum S.

literis Pontifex *Clem. l. 2. conſtit. c. 18. Abſque peccato nemo eſt hominum, excepto eo qui propter nos homo factus eſt.* Rurſus ne infallibili Patri contradices? (8. ἀπροσδιόνυσον eſt, *quod ex Matth. XI, 30. adfert, de levi jugo & ſvavi onere*, cum ibi de cruce, non de lege agatur. (9. aliena itidem *quæ ex 1. Joh. Ep. afferuntur*, in quibus nihil aliud habetur, quam poſſe ac debere nos ad normam legis diligendo DEUM & proximum fidem noſtram teſtari: poſſe autem nos in hac imperfectione omnia omnino plene adimplere præcepta DEI, adeoque ſine peccato eſſe, non dicitur. (10. alieniſſima vero *Prophetarum & Apoſtolorum monita de mandatis div. obſervandis, & Pauli inprimis dictum eſt Phil. IV, 13.* Nam uti illic non ſtatim ſequitur, quod poſſimus omnia quæ ſvadent: ita hic τὸ *omnia poſſum*, ad ſubſtrantam materiam de adverſis & proſperis ferendis reſtringendum eſt, aut ſane reduplicative accipiendum h. m. omnia quæ & quatenus poſſum; ne ſibi contradicat ipſi Apoſtolus. *V. Ro. VII, 15. ſq.* (11. ἀντίγραφον eſt & impudentiſſime dictum, *quod ſanctorum effatis & effectis conſentanea ſis Pontif. h. l. doctrina.* (De Evangelio vidimus jam ante) Prorſusne dememinit *Scheflerus* erratorum quibus etiam Sanctisſimi in ſacris leguntur implicit? Non ſuccurrebat illud *Pſ. XXXII, 6.* Sed deſinendum hic; illud tamen (12. adhuc obſervandum, *quod deſerat hic omnes eos Pontificios Noſter ille*, qui etiam non renatos ex viribus arbitrii quoad ſubſtantiam actus facere mandata DEI & ſalvari poſſe, docuerunt. Ipſe enim ad ſolos DEI gratia adjutos Chriſtianos reſtringit. Erat igitur *harmoniæ Pontifici* refricanda memoria.

VIII.

De Profectione Evangelica quando diſputat (1. deteſtandum eſt, *tam bello ſub nomine rem adeo ſignificari perverſam*: nempe,

nempe, *ſi quis a conjugio abſtineat, res non poſſideat proprias, ſit obediens Regulis ſuperiorum*, quæ vocant præcipue conſilia perfectionis, ut quæ non ſint a Chriſto præcepta omnibus, ſed commendata his, qui capere, atque adeo plus, quam mandatum ipſis eſt, præſtare poſſit. Ad id (2. ἄγραφον eſt: *nusquam ſcriptura a quando* ad perfectionem hortatur omnes, his gradibus ad illam adſcendi docet. (3. ἀντίγραφον eſt nam jubet illa profanas vocum novitates, quas *Vincent. Lirin. c. 34.* hæreticorum eſſe pronunciat, evitare *1. Tim. VI, 20.* eſt autem talis novitas, conſilia perfectionis comminiſci. Negat illa quenquam implere legem, ut ante demonſtravimus, ne dum opera ſupererogationis facere poſſe. Vocat perfectos, qui iſtis Conſiliis uſi non ſunt Noachum, Abrahamum &c. Ait præcepta ita eſſe perfecta ut nihil eis addi debeat *Deut. IV, 2.* conf. etiam in ſpecie, *1. Tim. IV, 3 2. Theſſ. III, 12. Mar. VII, 7. 8.* (4. hæreticum quoque eſt, conf. *Chemn. Exa. par. 3. de Caſt. c. 2. p. m. 453.* (5. abſurdum eſt, *in obſervatione regularum humanarum* potius quam divinarum *perfectionem ponere*, atque hinc (6. inconſequens prorſus, *cœtum eum, qui deteſtetur talia, heterodoxias damnare.* (7. novum eſt, & *Bellarmino* aliisque Pontif. adverſum, *data illa a Chriſto omnibus diſcipulis & Chriſtianis eſſe conſilia. V. ill. l. 2. de Mon. c. 7. ſq.* (8. falſum eſt, *conatus ſummos Ordinum Min. perfectionem Evangelicam ambire*, potius hoc agunt, ut Monaſteriorum opes adaugeant, captent præ aliis ſanctitatis famam & ventrem ſaginent. (9. falſum eſt, *perfectionem Papiſtar. commentitiam eſſe poſſibilem*, quod vel ſolam experientiam ſatis probare putamus: *eſſe glorioſam Chriſto*: nam Franciſcus & Dominicus ita ipſi præferuntur, *eſſe homini coram DEO honorificam*: cum nemo coram eo poſſit gloriari. *V. Luc. XVII, 10. Ro. III, 23. ſq.* Tandem (10. & hoc falſum eſt, *totam Eccleſiam Ponc. iſta confiteri.* Contradicunt enim qui legem omnino im-

pleri

pleri non poſſe, & imperfectionem etiam bonis renatorum O. aliquam adhærere, ex ipſis profitentur, quos alleg. V. ap. *Gerh. conf. c. l. 2. par. 2. p. 282. ſq. & par. 3. p. 796. ſq. & 816. ſq.*

IX.

Studium Virtutum notam Eccleſiæ facit, ſed (1. inconſequenter, nam ſit nulla fuerit Eccleſia *Eſaiæ*, *Jeremiæ & reliquorum Proph. ætate*, cum conquerantur illi graviſſimæ de communi hominum ſuorum pravitate, qualis querela & Lutheri eſt, quam ſugillat *infra in concluſ. aut porism. 2. prioris cl.* Et erunt *Turcæ*, *Novatiani*, *Phariſæi* Eccleſia vera, qui externæ ſanctimoniæ ſtudio obnixo tenentur. (2. falſum eſt, *nullum apud nos eſſe B. O. ſtudium.* Impoſſibile enim eſt, verbum DEI, vivificum illud ſemper apud neminem prorſus fructificare, licet verum & hoc ſit, multos indigne vivere Evangelio, tantoque graviores olim daturos eſſe pœnas. *Phil. I, 27. Luc. XII, 47.* falſius iſtud, *quod ne quidem ad B. O. hortemur quenquam, ſed (3. improbemus eadem :* nec indiget impudentisſimum hoc mendacium ulla reſponſione. V. modo *Brochm. lych. par. 5. c. 1. ſ. 1. p. 305. ſeq.* Immo ipſe Adverſarius ſe deinde refutat, addendo, *multis clamoribus hoc pro concione fieri*, ubi ſarcaſticis ſuis formulis oſtendit, quam feliciter tam exiguo tempore pleraſque calumnias Jeſuitarum adverſus noſtros, addidicerit. (4. falſisſimum illud, *quod fiant hæc omnia ex eo principio*, *quia Chriſte merito conſummata jam omnia eſſe, opera autem noſtra ob imperfectionem adhærentem, ſi ex rigore juſtitiæ nobiscum agat Deus, nil quicquam niſi iram promereri doceamus.* Non m. conſequi iſta: *B. O. ad efficiendam & promerendam ſalutem non ſunt neceſſaria vel idonea etiam. E. prorſus non ſunt neceſſaria facto:* dudum in Noſtrorum ſcriptis eſt confirmatiſſimum. (5. *De Monaſteriis: Aſceteria ea hodie opud Pontificios non ſunt, qualia*

lia eſſe debebant: Sunt autem eorum loco Scholæ noſtræ, illæ pietatis officinæ, illa virtutum ſeminaria. Neque m. Cœnobiorum inſtituta omnino proſcripſimus. (6. Falſum eſt, *nullum nobis eſſe Scriptorem Aſceticum*, & indicium hoc inſigne, quam ſollicitus fuerit Scriptorum noſtrorum ſcrutator *D. Scheſlerus.* Videbit eorum Catalogum, ſi ignorat, apud *Dn. D. Calov. Pæd. Theol. c. IIX, & IX,* (7. *Convitium in Academias* vetus eſt, ſed frivolum. Nobis hic Wittebergæ, neque lex ſcripta, neque vox viva deficit formatrix mornm & honeſtioris vitæ Magiſtra. Procul omni dubio neque Argentorati quicquam in ſe deſiderari paſſi ſunt Antiſtites θεολογώτατοι, modo Criminator attendiſſet. Sane *Dn. D. Schmidii* integritas orbi nota eſt, *D. Danhaueri* Aſcetica eminent affatim, ut miremur tam cito Lutheraniſmi oblitum eſſe Transfugam. (8. Minus neceſſarium eſt, *conventus noſtros publicos ſpeciem devotionis, humilitatis, pietatis externam a Pontificiis mutuari* Retrahimur ab ead. per Scripturas *Matth. VI, 5. ſq. Col. II, 8. 23. 2. Tim. III, 5.* (9. inanis eſt gloriatio *de Exercitiis pietatis Romanenſium & Scriptoribus Aſceticis affluentibus*, ſi ponitius excutias, neque doctrina ipſa, neque praxis ſancta eſt & legitima, V. deducentem *Hunn. P. O. §. 144. & multis ſeqq. it. Fidel. Adm. Witt. c. 3. rat. 10. p. 216. ſq. ac Brochm. lychn. par. 3. c. 8. ſ. 4. & 5. p. 221. ſeq.* quo te remitto.

X.

De *Juſtificatione hominis peccatoris coram Deo*, quam *fide* fieri docemus (ἀντίγραφον eſt, & horrendum dictu, *nocentiſſimam vocari & ad orcum de trudentem doctrinam, quam diſerte* Spiritus S. *Ro. III, 82. IV, 3. ſq. Eph. II, 8. Gal. II, 16. Phil. II, 9.* &c. tradit. (2. Veteratorium eſt, *quod ſpecialem illam fidem noſtram ſit explicat, quaſi nihil aliud notet, quam opinionem nu-*

 dam

dam & imaginationem de Chriſto paſſo, & mortuo, quam nulla ut ſequatur renovatio mentis, neceſſum ſit. Niſi affinxiſſet hæc (diu declinata *V. Gerh. Conf. c. par. ult. p. 681. ſq. B. Meisn. Anthr. disp. 27. th. 26.*) non habuiſſet heic quod reprehenderet. (3. ἀντίγραφον rurſus eſt, *quod carpit de remisſione peccatorum doctrinam, qua illa eradicari omnino quoad omnem inhærentiam, ut non ſint; ſed tegi ſ. non imputari, ut non obſint, ſtatuimus.* Ita enim & Scriptura Ro. IV. 2. ſq. Pſ. XXXII, 1. 2. (4. falſum eſt, *quod doceamus, nullam eſſe nobis juſtitiam internam:* & habitualem, quæ in renovatione, & actualem, quæ in B. O. conſiſtit, admittimus, etſi eandem in actu judiciali noſtræ juſtificationis coram Deo conſiſtere poſſe, deinceps negemus. Non enim juſtificatio cum ſanctificatione confundenda eſt, id quod perpetuo faciunt Pontificii. (5. inconſequens eſt, *quod de fomentis peccato Veterique Adamo præbitis per iſtas ſententias ſubdit,* id quod diu amoliti ſunt *Gerh. To. 2. disp. de gl. Dei disp. 1. contra Fan. §. 71. p. 638. ſq. & Henr. Höpfn. de Juſtif. disp. 1. p. m. 28. & 53.* (6 Denique obſervantum, *non laudare ipſum hic ex oppoſito ſententiam Pontif.* forte, quod ob diſſenſiones perpetuas de formali juſtificationis ratione, tam cito quem ſequeretur, nondum potuit conſtituere.

XI.

De Theologia myſtica (1. falſum eſt, ſi ſanam & ſobriam intelligas, quæ Scripturæ loca, ubi ſenſus myſtius, h. e. allegoricus, typius aut parabolicus ſubeſt, ſolerter eruit, *ejusdem noſtro omnino ignaros eſſe,* quod exegetica & homiletica plurimorum ſcripta oſtendunt. Præpoſtere ergo detrahit hic rurſus Miniſterio noſtro, more ſuo, ſed ſatis adhuc Weigeliano. (2 ſomnium eſt, & delira gloriatio *de diviniſſima arte illa & cœleſti Theologia, qua in ſilentio contemplatores tantum non*

Dei-

Deificentur. Hactenus *Weigelius* cum ſui ſimilibus exigua toties jactatæ ejus ſapientiæ dedit ſpecimina. V. omnino *Hunn.* Betracht. der Weig. Th. *p. m. 106. ſq. 134. ſq. 293. ſq.* (3. *ἀντίγραφον* eſt. *V. Rom. XII, 3. 16. 1. Cor. IV, 6.* Noſſe Chriſtum, ſapientia ſumma eſt *1. Cor. I, 30. Jer. IX, 24.* ea non niſi ex Scripturæ lectione hauritur *Joh. V, 39.* Valeant enthuſiaſmi. (4. ineptum eſt, *declinare velle nomen hoc & reprehenſiones ſimiles obverſa autoritate Eremitarum, Monachorum & Monialium quaſi Seraphica.* Homines fuerunt, qui cum nollent ſapientia Dei in Scripturis patefacta acquieſcere, *ἐμωράνθησαν, ἐματαιώθησαν* in cogitationibus ſuis, ut verbo Pauli utar *Rom. I, 21. 22.* (5. novum non eſt, *cum Weigelianismo hic convenire hic Pontificios*, qui & in aliis conſpirant *V. Hunn. l. d. p. 164. ſq. Paracelſum* Pontificius homo excudi curarit, perpetuis damnandum tenebris. Nempe ſunt quædam & hæreſium cognationes.

XII.

De Verſione Scripturæ S. (1. falſum eſt, *Lutheri verſionem eſſe adulteratam.* Objecta ipſi errata a *Bellarm. Piſtor. Keller. Tann. Cochl. Zang.* & aliis, diſcuſſa feliciſſime ſunt a *D. Mich.* Beringer in der Rettung der Deutſch. Bibl. Dolm. Luth. Noſter ille cornicum oculos confixorus non eſt, quod in proverbio dicitur, aut novi quicquam exprobraturus. 2) Abſurdum eſt, *quod opponit conſuetudinem non infrequentem, qua ſolent multi fontium verba aliter aliquando, quam Lutherus reddidit, pro concione exponere.* Nam hi non ſtatim Lutheri verſionem damnant, ſed illuſtrant potius: neque ſi commodius reddi alicubi poſſe contendant, perverſitatis ſtatim & adulterii notam eidem inurunt. Multum hæc diſtant. (3 Prorſus inconſequens eſt argumentatio, *a verſionis vitiis ad Eccleſiæ candemnationem:* niſi Pontificia Religio damnatiſſima eſſe vult, ob

mendoſiſſimam verſionem, qua utitur, Vulgatam L. ab innumeris etiam Pontificiis infinities reprehenſam. V. vel ſolum *Gerh. Conf. l. 2. par. m. 138. ſq.* Inde etiam ſubdole hic omittitur antitheſis. Aut ergo nihil concludit hoc medium XII. aut contra ipſam Romanam fidem concludit, & quidem fortius, quam adverſus noſtram, cum nunquam nos Lutheri verſionem ſpretis fontibus pro avthentica venditemus, nunquam avthentica verſione Eccleſiam opus habere, ut Pontificii ajunt, aſſeramus. Hæc etiam ad iſta.

XIII.

De Interpretatione Scripturæ otioſe hic, ut impleret numeros, repetit, quæ *ſup. N. 2.* propoſuit, quæ quoniam ibidem juxta *cum oppoſita theſi 8. cl. poſt.* jam diluerimus, nunc ſaltem denuo inculcamus hypotheſes Pontificias, quod poſſit Papa contra Apoſtolos ſtatuere, quod fontes Ebræus & Græcus qui ſub Scripturæ nomine πρώτως veniunt, ad Vulg. L. ſint corrigendi, quod non petenda ſit ex Scripturis earum interpretatio &c. Hæc ſi attenderit *Scheflerus* & adhuc exiſtimarit, ex eundem ab eo cœtu tanquam caco doxo, qui ſacras reformet, & pro lubitu torqueat literas, cauſam Papatus quam maturrime deſerendi manifeſtam ſortietur.

XIV.

De Patrum infallibilitate (*1. ἀντίγραφον eſt, quod ea pro fidei regula haberi, in dubium autem haut vocari debeat* V. *Matth. XVII, 5. Eph. II, 20. Eſa. IIX, 19. Luc. XVI, 29.* (2. abſurdum eſt, *quod qui negent illam infallibilitatem, accuſentur blaſphemiæ in Spiritum S. & longe ab Eccleſia vera abſint.* Nam & Patres ipſi ſe errare poſſe agnoſcunt V. *Aug. cit. diſt. 9. c. Noli meis 3.*

&

& c. ego ſolis 5. Et Pontificii Præſules ac Cardinales multoties erraſſe ipſos pronunciant. Quorſum alias expurgant ſanctiſſimi Papæ ſcripta illorum, quorſum cenſuras & ſpongias admovent? V. *Gerb. Conf. c. l. 1. p. 565. ſq.* Hauptwertheid. des Aug. Apf. *c. 35. p. 573. ſq. Dorſch. dedic. alt. Theol. Zach. par. 1. Fidel, Adm. VV. c. 3. p. 121. ſq.* (3. aperte falſum eſt, *Patres nunquam erraſſe.* Demonſtratur enim multis exemplis, ubi etiam multi & celeberrimi una hallucinati ſunt, ad oculum. V. ex pluribus unus *Brochm. lychn. par. 1. c. 1. ſ. 3. p. 9. ad 64.* atque hinc (4. alienum *quod ex Joh. XVI, 13. affertur ad Apoſtolos* dictum, quibus ſcil. θεοπνευςία ibidem promittitur. Si tamen, quod fieri ſecundario poſſe non admodum repugnamus, ad ipſorum Succeſſores, Dd. & Chriſtianos quoque applicetur, alibi demonſtratur, quo medico iſta deductio fiat, nempe verbo Scripturæ, V. *Joh. XVII, 17. Eph. II, 20. Ro. XV, 4. 2. Cor. III, 8.* Quisquis ergo a Scriptura deflectit, fruſtra Spiritus Sancti immediatum ductum præſtolatur. (5. ſubdolum eſt, *quod hic tantum in iis capitibus in quibus nos a Pontificiis diſſidemus, Patres errorum argui a nobis, notat*, ſecus quam *in latinis theſ.* fecerat. Quaſi vero in cæteris omnibus ut θεοπνεύςȣς veneremur. (6. falſum, quod dogmata omnis, quæ propter Papatum doſeruimus, Patres habeant ὁμοψήφȣς. V. *ſub. N. 1. & 2.* (6. Malitioſe delatio eſt, *quod nobis tribuit in fallibilitatis præſumtionem.* Quis noſtrum ita ita gloriatur? Pontificiorum hæ criſtæ ſunt, *Bellar. l. 4. de P. R. c. 4. l. 3. de V. D. c. 3. l. 3. de Eccl. c. 10. Specul. Veris. par. 2. c. 2. 4. & 7. Gretſ. tr. de Scr. Senſ. c. 5. & c.* Nondum noſti, *Scheflere*, qualem hi ungues leonem prodant? non advertis te rurſus propria vineta cædere? (8. Falſum eſt, *neque Lutherum, neque alios noſtros Theologos actuali Spiritus S. illuminatione gaudere*, niſi iſta phraſi Weigelianiſmum incruſtas, quem fanaticis ſponte relinquimus. Cur enim Spiritus S.

nobis non ſit æque Pater luminum, quam antiquis Dd. fuit? Cur Scriptura nobis ϖεριστίχουσι non ſit lucerna? nondum docuiſti. At non gloriamur? Non eſt hoc moris noſtri, neque Eccleſiæ Dei.

XV.

De Sanctis Cœlitibus (1. falſum eſt, *quod nobis eorundem aſſignat contentum omnigenum* nulla fide. Nam ipſi Symbolici libri noſtri, quod & quomodo honorandi ſint exponunt V. *Aug. C. art. 21. & apologia ejuſd. in F. C. p. m. 223. ſq.* (2. ridiculum eſt, *quod excipit, non exhiberi ullum reverentiæ actum B. Mariæ V.* θεοτόκῳ *in conventibus Eccleſiaſticis, quem vel prætori ſuo Menalcas agreſtis deferat.* Quid enim talis honor ad illam? (3. ἀνἰγγραφον eſt, *quod cultum adorationis religioſum Sanctis innuit habendum V. Exo. XX, 3. Eſa. XLII, 8. LII, 11. Matth. IV, 10.* (4 hæreticum eſt, *ita venerari cœlites*, in Angelis, Colliridianis, Melchiſed. aliisque jam olim damnatum. *V. Hunn. Apoſt.* §. 775. & 778. (5. falſum eſt, *quod decenter honoret Papatus cum Sanctis reliquis Mariam*, cum illos ſuibus, bobusque præficiat cuſtodiendis, hanc patronam faciat ſcelerum, Vicariam proſtibulorum in Legendis Pasſim V. *Læl. in cauſis deſerendi Pap. p. 480. ſq. apud Celeb. Dorſcb. Anti Corn. p. 2. ſtatim & 3.* (6. otioſum eſt, *quod de ſanctimoniæ omnis neglectu repetit ex Num. 9.* ubi id jam ſatis repreſſimus. Quod h. l. addit, *oriri iſta ex eo capite, quod doceamus, nihil nos boni operari poſſe, id* (7. convitium eſt. Nusquam ita abſolute tradimus, ſed ex viribus corruptæ naturæ noſtræ quidquam vere bonum opus derivari, aut a renatis quoque dum adhuc in carne agunt, juſtitiam omnibus numeris legaliter perfectam obtineri poſſe, id demum eſt, quod cum ſcriptura pernegamus. V. *Matth. VII, 18. Ro. III, 9. ſq. Deut. XXVII, extr. 1. Reg. IIX, 46. Eſa. LXIV, 6.*

XVI.

XVI.

De Communione Sanctorum, (1. falſum eſt, *quod nobis nulla ſit.* Unum cum Sanctis omnibus Dominum, unum fidem habemus, eandem ſpem vocationis, eadem ejuſdem conſequendæ media, unus eſt quo regimur Spiritu, unum ex nobis omnibus corpus. conf. Eph. IV. 4. 5. 6. 1. Cor. X, 17. Quis hanc nobis communionem intervertet? (2. Dubium, *ſitne in Apoſtolico Symbolo Articulus peculiaris illa Sanctorum communio*, ut quidam volunt & de participatione Sacramentorum communi exponunt: *an tantum* ἐπεξήγησις *priorum verborum, & deſcriptio Eccleſiæ*, ut cum *Luth. Rung. Gerh. Himmel* multi alii ſentiunt. Sane apud *Scotum diſt. 25. in 3. ſent. q. 1.* cum verbis *Sanctam Eccl. cathol.* illa conjunguntur & *Simoni Zeloti* tribuuntur. Apud vetuſtiorum complus, *Iren. Tertull. Baſil. Cyrill. Aug. Ruffin.* omnino omittuntur. Unde etiam (3. controverſum adhunc, *annon legitime ſe habeat Lutheri verſio*, quam ipſe defendit *Catech. Maj. in F. C. p. m. 499.* Modo diſtinguatur inter κοινωνίας vel communionis vocabulum abſolute poſitum & in certo contextu, ut h. l. adhibitum, (4. erroneum porro illud, *quod Spiritui S. ſi tautologia adſcribatur:* neque enim omnis ἐπεξήγησις ταυτόλογος eſt: neque h. l. Autor eſt Spiritus S. immediato afflatu & res & verba, hoc ordine & totidem ſyllabis Apoſtolis inſpirans, uti eſt in Scriptura canonica. Nam Apoſtolos hanc Symboli formulam concinnaſſe, ſolide probari nequit. V. *Exc. Dn. D. Calov. diſp. de Symb. Ap. 1. in Syncretiſm. §. 6. 11. & ſq.* (5. falſum eſt, *Pontificios veram cum ſanctis communionem habere.* Ubi una illa fides? unum caput? unus calix? (6. ἀντίγραφον præterea, *quod communicare cupiunt per invocationes V. Deut. XI, 13. per colloquia, viſiones & revelationes V. ſup. c. III, §. 42. c. IV, §. 47. ſq.*

XVII.

XVII.

De Sanctis porro quando diſputat (1. falſum eſt, *nullum nobis eſſe ſanctum. Chriſtus, Prophetæ, & Apoſtoli, Patresque Sancti* noſtri ſunt. Immo nos quoque ſancti omnes ſumus, quotquot Chriſti Sanguine tincti per lavacrum aquæ in verbo Templum DEI S. facti, ſecundum illum, qui vocavit nos & ſanctus eſt, in ſanctitate vitæ & pœnitentia quotidiana ambulamus. Conf. *1. Cor. I, 30. VI, 11. 1. Joh. I, 7. Eph. V, 26. Joh. XVII, 17. 1. Cor. III, 17. 1. Pet. I, 15. 1. Theſ. IV, 7.* (2. ἀντίγραφον eſt, *quod perfectos in omni virtute ſanctos a nobis poſcit.* Tales enim in hac imperfectione non dantur. Conf. *Pſ. XXXII, 6. CXLIII, 2. 1. Joh. I, 9.* (3. ἀντίγραφον & illud *quod videtur Sanctitatem quærere, quæ ſe exterius jactet & efferat, V. Eſ. XLV, 14. 1. Pet. III, 4. Matth. VI, 4. 6. 17. Rom. III, 19. 20.* (4. *Non ratione materiæ tantum*, ſed & reſpectu efficientis principalis, & inſtrumentalis, formæ, ſcopi & objectorum Sancta dicitur Eccleſia. (5. falſum eſt, *Pontificiam Eccleſiam vere ſanctis usque adeo abundare*, Contrarium te docebunt *Fidel. Adm. W. c. 2. p. 71. ſq. Balduin. phoſph. c. 21. p. 222. Hunn. P. O. §. 704. ſq.* quos V. (6. Abſurdum eſt, & a multis etiam Pontificis improbatur, *quod pro ſanctis non niſi demortui & a P. R.* (ipſo nihil minus quam ſancto, ſed Sanctorum potius ἀντιπάλῳ) *certis ritibus ex Ethnicorum Scholæ promanantibus canonizati, habendi ſint & tractandi*, Conf. *Gerh. Conf. c. l. 2. p. m. 542. ſq.*

§. XIIX.

De Miraculis (1. falſum eſt, *iisdem non eſſe confirmatam Doctrinam noſtram*, quam eandem eſſe, quam prædicarunt Chriſtus & Apoſtoli N. 1. oſtenſum eſt. (2. ἀντίγραφον eſt, *quod confirmari denuo miraculis tempeſtate hac poſtrema debeat*, qua

Anti-

Anti-Chriſti nota ſunt *Matth. XXIV, 24. 2. Theſ. II, 9. Apoc. XIII, 13. 14.* (3. adverſum eſt patribus *Aug. l. 22. de C. D. c. 8. Chryſ. hom. 49. op. imperf.* aliisque. (4. ἀπροσδιόνυσον, *quod promiſit Chriſtus Apoſtolis miracula ſecutura Matth. XVI, 17.* nam ad finem mundi usque ſecutura non addidit. (5. adverſum quoque hypotheſi Pontif. quæ eſt, non niſi novam Doctrinam hoc teſtimonio egere. At nova noſtra non eſt. (6. ἀνακόλουθον argumentum a *defectu vel abundantia miraculorum ad Eccleſia falſitatem aut veritatem*, per varias inſtantias, (ut *Joh. Baptiſtæ it. Ethnicorum & infidelium variorum*) ſat oſtenditur. (7. Vanam gloriam *de Pontificiis miraculis* præſtigiatoriis, magicis, ridiculis, ementitis, fabuloſis, Præſertim quantum ad hæc ultima ſecula, dudum ita exploſerunt Noſtri, (V. impr. *Hunn. P. O. §. 795. ſq. & de Papatu non-Chriſt. tot. c. 8.* Jus tædeat quicquam porro addere, quam *B. Aug.* verba; olim Manichæis oppoſita, *l. 13. contra Fauſt. Man. c. 5. Scripturas tanta autoritate firmatas reſpuitis, miracula non facitis quæ ſi faceretis, etiam ipſa in vobis caveremus, per inſtruentem nos Dominum & dicentem: Exſurgent multi Pſeudo Chriſti & Pſeudo Propheta & facient ſigna & prodigia multa &c.* Neque *de Prophetiæ dono* (quod *laſ. poſt. n. 12.* ſpeciatim commemorat,) eum ſit prophetici luminis & miraculorum par ratio, pecalariter ut agamus, neceſſum ducimus. Conf. *Gerh. Conf. c. l. 2. par. 1. p. 1267. ſq.*

XIX.

De Traditionibus (1. abſurdum eſt, *quod carpit rejici verbum non ſcriptum ab Apoſtolis oraliter ſaltem traditum*, neque tamen aut ipſe aut alii Papicolæ audent eloqui quæ & quot ſint illæ traditiones. (2. Subdolum eſt, *quod generatim loquitur*, dum addere debuiſſet, cos ad ſalutem obtinendam ſcitu & obſervatu neceſſarias eſſe. Id v. deinceps (3. ἀντίγραφον eſt, *quicquam deſiderari in Scripturis ad illum finem acquirendum neceſſa-*

rium Conf. 2. *Tom. III*, 5. *ſq. Pſ. XIX*, 9. *Job. XX*, 31. *Apoc. XXII*, 18. 19. (4. Phariſaicum eſt. V. *Matth. V*, 21. *XV*, 2. *ſq. XXIII*, 23. *Mar. VII*, 8. *Gal. I*, 8. (5. Hæreticum quoque ut ex *Irenæi ſupr. cit. l.* diſpaleſcit. V. plenius *Hunn. Apoſt.* §. 703. (6. obſcurum eſt, *quid per pia exercitia ad mortificationem carnis & bonos mores facientia velit.* Si peregrinationes religioſas, enumerationem peccatorum ſpecialem, jejunia, flagellationes, & ſimilia, quæ ſatisfactoria per hibent opera; dabit veniam, quod a Scripturis abeuntes facere cum Hæreticis nolimus. (7. Alienum porro illud a controverſiæ St. *quod ceremonias Eccleſiaſticas his traditionibus accenſeat*, quas ſub verbi non ſcripti nomine repudiamus: nam (8. falſum eſt, *quod indiſcriminatim ritus illos impugnemus:* de cætero, qui verbo DEI pugnantes, aſſuta cultus ac meriti opinione conſpurcati, abuſibus fœdis contaminati, deque origine ethnica & hæretica ſuſpecti, multitudine ac neceſſitatis præſumptione Eccleſiam prægravant, merito rejiciuntur. Tandem (9. μέγα λίανθισμα eſt, *ceremonias & exercitia illa, quibus nuncium miſimus, omnia ſanæ & canæ antiquitatis applauſu commendari.* Novitatis multa convincit *Hunn. Apoſt. c. 3. tot.*

XX.

Chriſtianæ charitatis opera quod dicit *intermitti apud nos ex adverſo apud Pontificios adhuc fervere*, ad ea relabitur in quæ *N. 9* jam animadvertimus: nunc breviter addimus 1) in conſequens eſſe argumentum. Sæpe ita uſu venire ſolet, ut ſanctius videatur inter infideles agi, quam in ipſo viſibilis Eccleſiæ gremio; ut Zelo ingenti etiam heterodoxi flagrent. Exemplum V. Matth. XXIII, 15. Neque 2) omnino vera Minor eſt. *De nobis:* multos bellis exhauſtos paupertas tam liberales eſſe non patitur, quam in re lauta qui vivebant Majores noſtri fuerunt, quorundam deinde vitia toti affricare Eccleſiæ iniquum:

ſine

ſine vocatione tandem ad gentes ut excurramus, hodie non obligamur. Deſiit Apoſtolatus. *Quantum ad Pontificios:* neque Dei neque proximi dilectionem ſinceram & genuinam eminere inter ipſos prolixe probat *Hunn. P. O.* §. *747. 762.* unius alteriusve Ordinis aut hominis affectatus ardor reliquorum plerorumque communi remiſſione retunditur: denique Indias an ex charitate ſincera adeant, Deo notum, *Acoſtæ* Apoſtolo & ipſi Indico, viſum aliter eſt, quando ſcribit: *non alios fructus præter aurum Hiſpani toto Oceani circuitu quærunt, neque alia ex cauſa vel Mercatores negotiantur, vel judices præſunt, vel ipſi quoque Sacerdotes plerumque evangelizant: argentum aurumque ſi deſit & ſe ſubducat ex oculis, omnis frequentia, omnis commeatio, omnis civilis & Sacerdotalis concurſus brevi evaneſcit. l. 3. de procur. Ind. Salu. c. 18.* V. & *Dorſch.* in præf. der Religions-Scrupel.

Hæ ſunt rationes Apoſtaſias; reſtat *in claſſe alt. Theſis 16. quæ promiſſiones Chriſti Matth. XVI, 18. Joh. XVI, 13. Matth. XXVIII, 20.* factas Eccleſiæ toti Chriſtianæ ad ſolam Romanam male applicat; factas de eſſentia ſtatus interni de externi floriditate accidentali male explicat, nec attendit, quod hominibus verbi ductui renitentibus, Deus ex juſta indignatione eosdem ducere ceſſet V. *Act. XIII, 46.* Sed illa ex profeſſo refellit *Nic. Hunn. P. O.* § *290. ſq. 320. ſq. 305. ſq.* & *Gerh. Conf. C. l. 2. par. 1. p. 117. ſq.*

Nunc fundamentis ariete vario ita concusſis, quæ ſuperſtruuntur in utraque claſſe concluſiones ſua ſponte corruunt, neque nova opera quicquam indigere videntur. Produnt tamen ſe circa commiſſuras earundem collabentium aliqua, quæ miremur. Nempe dicit, *ſequi, Lutheraniſmum non niti verbo Dei, ſed præconcepta Doctorum opinione.* Ex quo medio? quia non nititur verbo Dei, ſed præconcepta opinione Doctorum: *Rat. 2. cl. pri.* Ecce ex duobus terminis Syllogismum! porro

 miſcet

miſcet concluſioni aliena, *querelas de mendaciis Noſtratium, quibus onerent præter meritum Romanam fidem, & eorum inſimulent criminum, quorum conſcia non ſit*, id quod novus eſt medius terminus, non ex præmiſsis illata conſequentia. Sed eſt & iſte ruinoſus. Quid quereris *Schefflere? Non fuerunt ante B. Lutherum neglecta & ſuppreſſa S. Biblia?* Fatentur multi Pontif. *ap. Gerh. Conf. C. l. 1. p. 345. ſq.* Fatetur *Conventus Bononienſis ad Julium III. Pont. R.* ejusdem, quorum ignominiam neque Tiberis, neque Adria eluet, exſcribam integra, Te, ſi quis adhuc reſidet candor, non parum motura. *Denique* ajunt, *oculi hic aperiendi ſunt, omnibus nervis annitendum erit, ut quam minimum Evangelii poterit (præſertim vulgari linqua) in iis legatur civitatibus, quæ ſub traditione ac poteſtate ſunt ſufficiatque tantillum illud quod in Miſſa legi ſolet : nec eo amplius, cuiquam mortalium legere permittatur. Quamdiu enim pauculo illo homines contenti fuerunt, tamdiu res tuæ ex ſententia ſucceſſere, eædemque in contrarium labi cæperunt, ex quo ulterius legi vulgo uſurpatum eſt. Hic ille (in ſumma) eſt liber, qui præter cæteras, haſce nobis tempeſtates ac turbines concitavit, quibus prope abrepti ſumus. Et ſane ſi quis illum diligenter expendat, deinde quæ in noſtris fieri Eccleſiis conſveverunt, ſingula ordine contempletur, videbit plurimum inter ſe disſidere, & hanc doctrinam noſtram ab illa prorſus diverſam eſſe ac ſæpe contrariam &c.* Porro quid quereris? *Non ſunt Papicolæ rei idololatrias ?* Quid illa veſtra Mariolatria, Angelolatria, Hagiolatria, Sceletomania, Lipſanalutria, Artolatria, Iconolatria aliud ſunt, quam ſpecies illius? *Non redundat veſtra illa Sanctorum per religioſam adorationem veneratio in Chriſti ignominiam?* Teſtatur ipſe Deus *Eſ. XLII, 8. Deut. VI, 13. X, 20. Jer. XVII, 5. Rom. I, 25. Pſ. L, 15. Non a Chriſto ad Sanctos, homines aligatis ?* Vos utique eſtis, qui Chriſtum iratum orbi per Matrem miſericordiarum & manſvetudinem Sanctorum aliorum exorandum tradi-

tis

tis. *Non poteſt Sponſa Chriſti alterum ſequi adultera?* Prophetæ ajunt *Eſa. I, 21. Jer. II, & III, Oſe. IV, & V, Apoc. XIV, 8. XVII, 1. ſq.* Fruſtra E. quereris *ſub finem claſſis prioris.*

Fruſtra etiam poſt *limina cl. poſt* ſcrupulos de Euchariſtia injectos excutere laboras. Longe urgentiores te vellicabunt, ſi quæ allegata ſunt Scripturæ dicta & ſcripta Noſtratium pia ſolidaque evolves. Inter ea quomodo te, dum ex iſtis extricare laboraſti, implicueris erroribus variis, vide ſi potes. *Non poſt conſecrationem nuda ſaltem accidentia, quæ ſpecies vocas, ſymbolorum relinquuntur*, ſed verus panis verumque vinum cum corpora & ſanguine Chriſti realiter præſente communicans 1. *Cor. XI, 6.* *Non eſt panis euchariſticus extra uſum a Chriſto inſtitutum corpus Chriſti*, docente hoc & inſtitutione Dominica & exemplo Apoſtolorum & analogia Sacramentorum. *Non eſt Chriſtus in pane adorandus*, quia ibi ſe adorari velle nusquam teſtatus eſt. *Col. II, 8. 23. Eſa. I, 12.* *Non quia Chriſti corpus vivum eſt, cum pane ſanguis quoque exhibetur*, ſed quoniam ipſe de vino tantum dixit, hic eſt Sanguis meus, igitur cum illo etiam tantum hic ſacramentaliter unitus eſt & bibitur. *Non inſtituit Chriſtus calicem poſt cœnam Sacramentalem jam abſolutam*, ſed poſt cœnam paſchalem ac vulgarem & panem & calicem evchariſticum ſimiliter diſtribuit, adeoque ejus inſtitutio Communioni ſub una utique obſtat. *Non perinde eſt Chriſto, quocunque modo participes reddamur corporis ejus ac Sanguinis* ſed per utrumque elementum panis & vini, per utrumque actum manducationis & bibitionis participare nos debere, teſtamento cavit. *Non agit Dominus Joh. VI, de cœnæ ſacramento*, &, ſi ageret, *verſus 53.* vel ſolus ποτηριοκλεψίαν confunderet *Non uſa eſt priſca & vera Eccl.* ſed Manichæa factio *pane tantum V. Cap. Confirmus 12. Diſt. 2. de Conſecr.* *Non potuit priſca Eccleſia voluntatem Chriſti noviſſe rectius atque nos:* cum nonniſi ex verbis inſtitutionis de illa conſtet.

Finem

Finem facio, & quam tu in fine, *CL. Vir.* Glorioſi DEI Spiritus S. tribuis inſtinctui, Apoſtaſiam tuam (1. Scripturæ S. non ſatis attentæ ac debitæ meditationi, quod ex theſibus apparet, 2.) fidei parum confirmatæ, & ad ἀπολογίαν im paratæ, (3. Scandalo, quo a multis Evangelico indigne ambulantibus præbio, abripi Te paſſus es, (4. periculoſæ inter Papicolas converſationi, (5. ſpecici Pontificiæ devotionis, pietatis, cultus, charitatis exteriori, quæ compoſitisſimo apparatu incautioribus imponit. (6. lectioni hæreticorum magis quam orthodoxorum Scriptorum inordinatæ (7. hauſtæ deinceps præſumptioni de posſibili operum perfectione ac juſtitia, (8. concepto privatim ergo Dd. noſtros quosdam odio, atque tandem nato hinc (9. prædicationis publicæ conventuumquæ Eccleſiaſticorum contemtui adſcribo. Caviſſes autem hos ſcopulos, ſi voces Spiritus S. monitorias audiviſſes *Joh. V, 39. 2. Tim. III, 15. 1. Pet. III, 15. Mat. XIIX, 6. ſq. XI, 6. Tit. III, 10. Mat. VII, 15. 1. Joh. X, 5. 1. Tim. VI, 3. ſq. Col. II, 18. 23. 2. Tim. III, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 2. Reg. I, 3. Ro. IX, 31. ſq. Ebr. XIII, 16. 2. Cor. IV, 7. Ebr. X, 25.* Quare audi Eundem, obſecro, adhuc, donec hodie cognominatur, neque obtura cor tuum & aures acclamanti: *Revertere: Memento unde excideris & age pœnitentiam.* Ipſi cum Patre & Filio ſit gloria gratiarum actio, honor, virtus victorie, hymnus & laus perennis in ſecula.

F I N I S.